



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1276 Usque Ad Annum 1312

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1766

VD18 90118251

Liber LXXXIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67012](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67012)



HISTORIÆ
ECCLESIASTICÆ
LIBER LXXXIX.

NICOLAUS IV, TUM COELESTINUS V.
DEIN BONIFACIUS VIII, SUMMI
PONTIFICES.

RUDOLPHUS I, DEIN ADOLPHUS NAS-
SOVIUS, TUM ALBERTUS I AUSTRIA-
CUS OCCIDENT. ANDRONICUS II
ORIENT. IMPP.

§. I.

*Pacta Lusitaniæ Regem inter &
Clerum.*

Per decem annos, quibus in Lusitania Sæcul. XIII.
Dionysius regnabat, controversiæ, A. C. 1289.
quas tum Pater ejus Alphonsus, tum
ipse cum Clero habuerant, non erant di-
reptæ:

Sæcul. XIII. remptæ: sed regnum divinis interdictum,
A.C. 1289. Rex anathemate devinctus manserat.
Sup. lib. 87. Cum is ad Præfulum querelas an. 1284
f. 31. sibi traditas, & in generali Ordinum con-
Rayn. 1284. ventu conciliationis gratia discussas re-
n. 26. spondisset, Præsules pacti confirmationem
 poposcerant a Papa Martino IV, qui cor-
Id. 1289 n. 16 rigendum aliquid in eo viderat. Demum
 Dionysius illum in finem Romam misit
 Martinum Peresium Eborensis chori Præ-
 fectum, ac Joannem Martinesium Cano-
 nicum Conimbricensem tanquam suos
 Procuratores munitis litteris suis Conim-
 briæ 5 Junii 1288 datis.

Papa Nicolaus rem examinandam
 tribus commisit Cardinalibus, nempe La-
 tino Episcopo Ostiensi, Petro Presbytero
 tit. S. Marci, ac Benedicto Cajetano tit.
 S. Nicolai. His se sistebant partes, scili-
 cet Archiepiscopus Braccarensis, & Co-
 nimbriæ, Silvæ, Lamecique Episcopi hoc
 ad negotium Summi Pontificis autho-
 ritate præditi, ac pro se regnique Clero
 dicturi ex una parte, ex altera duo Le-
 gati regii Martinus Peresius & Joannes
 Martinesius. Legebantur Cleri queri-
 moniæ plures quam triginta, quarum
 summa hæc erat. Rex Priores, Abba-
 tiffas, & Parochos cogit ipsorum benefi-
 cia arbitrio suo permittere, præsertim in
 templis, ubi jus patronatus, ut vocant,
 habere se perhibet. Quando Episcopi
 vel

n. 18.

art. 1.

2.

vel Parochi anathema vel interdictum Sæcul. XIII.
A.C. 1289.
pronunciant ob non depensas decimas
vel alia jura sua, Rex & Administri ejus
illos relegant, bonis exuunt, per minas
ad revocandas sententias compellunt, ac
veluti Judæos tractant, dum omnem cum
illis communionem prohibent, eosque,
qui illos in suas domos recipiunt, per
captivitatem, & bonorum jacturam pu-
niunt.

Siquis locus interdicto, siquis mini-
ster regius anathemate afficitur, illius
loci homines conveniunt inter se, sta-
tuuntque decimas non solvere, Ecclesiæ
per testamentum nihil relinquere, nulla
illuc dona afferre. Rex non permittit,
ut Episcopi dioecesium suarum parœciis
limites præstuant: in quibusdam dioe-
cesibus tertiam decimarum ad structuras
pertinentium partem sibi vendicat, & in-
ducendos, reparandosque muros suos,
interdum autem in stipendia suis danda
copiis impendit. Ejus ministri domos
hospitales ac bona eis obnoxia inique
occupant, cum ex juris præscripto Epif-
coporum sit de iis statuere. Rex Eccle-
siasticos ad construenda reficienda ve ur-
bium moenia contribuere pecunias, &
homines illis subditos vectigales operas
eo præstare cogit, agrorumque culturam
omittere. In casibus juris ad templa
profugos per violentiam & interdum qui-
dem

5.

7.

8.

9.

10.

11.

12.

13.

Sæcul. XIII.
A. C. 1289.

dem Saracenorum Judæorumve inde abstrahi, aut custodiri jubet, ut victu carentibus sit exeundum.

14.

Rex atque Judices ejus curant Sacerdotes & Clericos comprehendi non postulato Episcoporum permisso, & his poscentibus illos reddere recusant. Nunquam illos fame, laqueo, aliterve enecant. Si Parochiani captivum Curionem suum expetunt, ut ipsis sacrum faciat, non emittitur sine cautione, & mox

15.

in carcerem reducit. Sæpe Rex Episcopis necem minatur, templis ac cœnobiis inclusos tenet, Judæos & Saracenos custodes illis apponit. Episcoporum famulos mutilari auribus, in furcam alios, alios præsentibus Dominis occidi jubet.

17.

Ipse ac Ordo Nobilium Religiosis insultant verbis factisque, adeo, ut eos interdum omni omnino tegumento exul jubeant.

18.

Rex per totum regnum suum inquiri curat in bona & patronatus Ecclesiarum, Patronis ac Rectoribus non accitis: atque, siquam terram, siquod jus patronatus ad se spectare audit, confestim occupat quanquam ex tempore, cujus nulla exstat memoria, a Rectore possessum, cum in tali casu non ex inquisitione statuere ipse quidpiam, sed rem ad Judicem

19.

sacrum deferre debeat. Involat in possessionem patronatus Ecclesiarum, quem
Epis-

Episcopi, aliive pacate a longo tempore tenuerunt, eosque adstringit ad recipiendos instituendosque homines, quos eo designat: si renuant illi, occupatos earum fructus ipse percipit. Cum Episcopus illum, cui beneficium quoddam ex canonum præscripto contulit, in ejus possessionem reapse mitti cupiens Regis præsidium invocat, hic illum adeo non protegit, ut intruso faveat.

Per speciem justitiæ administrandæ constituit Tribunos, qui, quæ volunt, ab Ecclesiis exigunt: & cum de stipendiis, quæ a Rege accipiunt, deberent vivere, in religiosa assidue loca divertunt cum comitatu nimio, ibique victum sibi ac suis præberi volunt. Ab Ecclesiis, ubi Rex jus patronatus habet, nova vectigalia seu servitia postulat, ac Rectores ad subministrandos aut emendos sibi equos compellit. Cum Regis aut Domini beneficiarium a Rege prædium habentis minister aliquis fiduciarium Ecclesiæ clientem quempiam velut criminis reum ad tribunal trahit, nec Judex ei Advocatum dare, nec Advocatus ullus eum tueri audet. Regiarum Præfecti arcium per causam belli instantis, aut quod imminere fingunt, Ecclesias & iis subditos ad suggerendum sibi frumentum, vinum, carnes, & omne alimenti genus inducunt, & nihil unquam restituunt. Rex

æcul. XIII.
A.C. 1189.

20.

21.

22.

23.

24.

27.

Histor. Eccles. Tom. XXII. U con-

Sæcul. XIII.
A. C. 1289.

28.

contra præceptum concilii Lateranensis Judæos publicis honorans muneribus, non ad signum discriminis supra vestem gerendum, nec ad decimas solvendas addigit. Rex precibus ac minis Ecclesiarum tam cathedralium, quam minorum electiones sibi obnoxias reddit, ut illis imponat Episcopos aut Præsides sibi devotos, qui Ecclesiæ jura contra ipsum defendere non audeant. Denique causas testamentarias aliasque fori sacri proprias ad suum tribunal accerfere conatur.

29.

^{30.}
Sup. lib. 36.
§. 60.
Rayn. 1273.
n. 25.

His querimoniis addebantur illæ, quæ ad Papam Gregorium X delatæ fuerant an. 1273. Regis Legati respondebant ad singulas: & ad plerasque dicebant eum nunquam fecisse id, de quo argueretur, nec facturum in posterum: ad reliquas spondebant fore, ut se conformet ad jus commune, ac Ecclesiæ faciat satis. Ita conciliatis partibus tres Cardinales a Papa constituti litteras hac super re publicas curarunt confici 12 Febr.

38.
Rayn. 1289.
n. 32.

an. 1289. Igitur Papa Nicolaus censuras a Gregorio X Lusitaniæ irrogatas tollendi copiam Episcopis fecit per diploma 23 Martii editum: atque per aliud 7 Maji datum confirmavit pactionem adjunctis, si violaretur, poenis sequentibus: Si Rex ab Episcopo suo monitus intra bimestre spatium non paruerit, e-
jus

ius sacellum interdictum erit. Post duos ^{Sæcul. XIII.} menses & alteram monitionem interdictum se extendet in loca omnia, ubi Rex ^{A C. 1289.} aget. Quatuor post mensibus incidet in anathema. Tum ei intentatur interdictum generale per totum regnum, & subditorum absolutio a juramento fidelitatis.

§. II.

Carolus II Siciliae Rex coronatur.

Papa tunc Romæ versabatur, unde in urbem Reate profectus ibi celebrabat diem Pentecostes, qui erat vicessimus nonus Maji. Hoc ipso die solenniter coronavit novum Siciliae Regem Carolum ^{Rayn. 1289.} II, qui e suo dimissus carcere per Franciam in Italiam redierat. Post impostam sibi coronam suam ob regnum Papæ addicti clientis fidem ac obsequium profitebatur iisdem conditionibus, quibus Rex pater ejus id egerat: ut apparet ex ejus litteris 19 Junii scriptis, & ex acceptione Papæ. Is tunc novo Regi multiplicem præstabat gratiam. Concessit enim decimas ad triennium Siciliae recuperandæ causa. Infirmavit ^{Rayn. n. 13.} pactum cum Alphonso Arragonum Rege factam, Carolum ac Eduardum Angliæ Regem declarans liberos a juramen-

Sæcul. XIII.
A. C. 1289.

n. 15.

tis, quibus illam confirmassent, tanquam per vim ac metum extortis, & contra bonos mores pugnantibus. Sacro fulmine perculit Regem Alphonsum, Jacobumque fratrem ejus, possessorem Siciliae. Denique Regem Carolum gemmis & numerata pecunia large donatum remisit, eique Legatum pro Sicilia dedit Cardinalem Berardum Episcopum Prænestinum.

§. III.

*Raymundus Fratrum Minorum
Minister Generalis.*

Sup. l. 88.

Matthæus Aquaspartanus Minister Fratrum Minorum Generalis anno præterito sacra ornatus purpura, in eisdem Pentecostes ferias Assisium generalia convocavit comitia, in quibus regimen Ordinis sui deponeret. Sed Papa Nicolaus illa Reate coram se ineunte Junio haberi voluit. Erant itaque celeberrima; quippe quæ Papa duoque Cardinales eodem, ut ipse, evocati Ordine, scilicet Bentivenga Episcopus Albanensis, ac summus expiationum Præfectus, & Matthæus Aquaspartanus Presbyter de S. Laurentio, insuper Rex Siciliae Carolus II, & Maria Hungarica conjux ejus sua honorabant præsentia. Ibi in tertium decimum Ordinis Ministrum Generalem una

una omnium voce cooptatus est Raymun- Sæcul XIII.
 dus Goffredus in Provincia seu Saluvio- A.C.1289.
 rum regione nobili natus genere, Theo-
 logiæ Doctor, virtutis ac speciatim pau-
 pertatis & regularis disciplinæ studio ar-
 dens, utpote doctrinæ Petri Joannis Oli-
 væ, & huic ipsi addictissimus.

Vading.

1289. n. 22

Fratrum Minorum disciplina non pa-
 rum remiserat sub tribus ultimis Ministris
 Generalibus. Bonagratus & Arlotus *Vading.*
 haud diu præerant; nec ipsi more ante- 1278. n. 23.
 cessorum obire cœnobia poterant ob ne-
 gotia urgentiora, morbosque mox in
 ingressu regiminis sibi ingruentes. Mat-
 thæus Aquaspartanus erat facilis ac mi-
 sericors, studebat omnibus satisfacere, ac
 nimix indulgentiæ mala minus æquo
 considerabat. Factus Cardinalis atten-
 tionem ad gubernandum Ordinem ne-
 cessariam habere non poterat, nec au-
 debat Fratres accuratam ad disciplinam
 compellere, cujus exempla nulla dabat
 Principis instar vivens. Sic illi deflecte-
 bant a sancta paupertate, quam S. Fran-
 ciscus tantopere commendaverat. Ac-
 cipiebant pecunias intra prima recentium
 Sacerdotum sacrificia oblatas. Pone-
 bant in templis gazophylacia. Reci-
 piebant stipendia pro sacris. Obibant
 annua feralia certo pro salario ex more
 secularium Sacerdotum. Ad templo-
 rum portas collocabant pueros, qui a
 trans-

Sæcul. XIII.
A.C. 1289.

transeuntibus peterent pecuniam, & in pelvibus minutas candelas cereas offerrent emptoribus in honorem Cælitum accendendas. Fratres ipsi mercaturam faciebant in plateis ac foris, ducebantque secum hos pueros, qui acciperent pecunias & infumerent. Relictis domibus suis solitariis & vilibus construebant magnis sumptibus ædes pulchras in urbibus & spatiosas, ubi populares solum habitabant exclusis exteris: nullus procul a patria & cognatis suis vivere volebat.

Vading.
n. 26.

Boll. to. 8.
p. 66.

Sup. lib. 84.
§. 27.

Joannes Parmensis quondam Ordinis Minister Generalis disciplinæ studio tam incensus hoc anno 19 Martii decesserat. Annos triginta duos egerat in solitudine Grecchiana prope Reate, cum Cardinalem Aquaspartanum rogavit, ut Græcos cum Latinis reconciliandos revifere sibi liceret, ad hoc negotium annis abhinc quadraginta non improspere adhibito.

L. 83. §. 13. Cardinalis rem ad Papam retulit: qui in sene annorum octoginta tantum animum & ardorem admiratus, & quantis Græcis esset, haud inscius voti compotem libenter fecit. Joannes ad hunc magnum laborem præparatus cum sociis suis religiosa Assisii & viciniae loca obierat, cum Camerinum advenit; ubi morbo implicitus post aliquot dies mortem oppetiit. Plura ad tumulum ejus facta dicuntur miracula:

Boll. p. 58.

racula: & sunt, qui eum inter Beatos numerent, tametsi cultus ejus non videatur stabilitus litteris justæ authoritatis ac fidei.

§. IV.

Epistolæ Papæ ad Tartaros.

Frater Joannes Moncorvinus ejusdem Ordinis Religiosus a Ministro Generali Bonagratio ante aliquos annos ad expeditionem sacram in Orientem missus post suum reditum Papæ significavit Magnum Tartarorum Canum Argonem ipsi Ecclesiæque Romanæ ac generatim Christianis omnibus favere; seque ac socios suos humanum oppido & benignum expertos esse; quod indicaret illum ad amplectendam fidem sanam propendere. Idcirco Papa officiosa epistola Argonem hortatus est ad exequendum hoc bonum propositum: simulque scripsit ad duos alios Tartarorum Principes Cobilam & Caidonem, quorum prior ipsi commendatus per Argonem fuerat in litteris antea præterito acceptis. Etiam Regi Armeniæ, sorori Regis mortui, Imperatori Æthiopiæ, Patriarchæ Jacobitarum, & cuidam Episcopo nomine Dionysio Ecbatanis residenti per Fratrem Joannem Moncorvinum litteras misit datas mense

U 4 Julio

Sæcul. XIII. Julio an. 1289 & videbimus continentem
 A C. 1289. hujus missionis ordinem.

§. V.

Inquisitio Venetiis facta.

Vading.
n. 14. 15. &c.
Rayn. n. 54.

Papa Nicolaus sanctiones hoc anno plures pro Inquisitione edidit; & a Veneta Republica decretum magni ponderis pro hoc tribunali obtinuit. Cum Dux Joannes Dandolus majorem minoremque Senatum & omnem populum congregasset, statutum est, ut ille solus haberet potestatem ferendi Inquisitoribus auxilii ad obeundum Venetiis ipsorum officium, quoties ab eis rogatus esset, atque ut Respublica virum certum constitueret, cujus in fide pecunia ad exercendam Inquisitionem necessaria deponeretur, ita, ut Inquisitores non cogentur illam alibi quærere, & hic vir acciperet omnia, quæ hoc ex tribunali provenissent. Hæc sanctio facta est Venetiis 4 Augusti 1289: & duo Nobiles, nimirum Marcus Bembus ac Nicolaus Quirinus eam Papæ nunciatum missi fuerunt. Probavit illam Papa, Venetosque, ut eandem fideliter observarent, monuit per litteras 28 Augusti datas. Hæc est prima, quam viderim, constitutio pro Inquisitione Veneta; sed indicat hoc tribunal ibi jam antea erectum fuisse.

V. fr. Paolo
hist. dell'
Inquis.

§. VI.

§. VI.

Sæcul. XIII.
A.C. 1289.*Universitas Cesseronia.*

Eodem anno Papa Cesserone seu Monte Pessulano Universitatem instituit. Hæc enim urbs jam celebrem quidem artis medicæ ac jurisprudentiæ scholam, nulla tamen hæctenus privilegia habuerat. Papa igitur ob hujus scholæ famam, & commoditatem loci vult in posterum ibi esse litterarum studium generale, ubi cunctæ facultates licitæ doceri discique possint: sed non permittit, ut ibi obtineatur gradus & nomen Doctoris præterquam Jurium, Medicinæ, & Artium: Candidati ducentur ad Episcopum Magalonensem (qui tunc Cesserone non residebat) & hic Præsul vel Procurator ejus congregabit Doctores facultatis, de qua erit quæstio. Cum istis gratuito examinabit aspirantes; ac de illorum consilio doctrinæ insignia tribuet iis, qui hoc honore digni fuerint habiti. Vacante sede Magalonensi unus ex tribus Archidiaconis eandem functionem faciet: ac laurea donati sine alio examine habebunt copiam docendi ubique, ac Professores publice agendi. Diploma dabit 26 Octobris an. 1289. Non video, cur a Papapetenda necessario sit copia tradendi artes liberales, jus civile, ac medicinam.

Duboulay
to. 3. p. 488.
Rayn. n. 51.

U 5

§. VII.

Sæcul. XIII.
A. C. 1289.

§. VII.

Ecclesia Græca.

Pachym.
l. 8. n. 2.

8. 12.

Postquam Gregorius Patriarcha Constantinopolitanus suo muneri longam salutem dixerat, Imperator Andronicus scriptum ejus excutiendum liberius curavit, ut videret, an hoc corrigi posset. Convocavit sæpius doctos hanc ob causam: & tandem decretum fuit, ut explicatio verborum S. Joannis Damasceni refecaretur. Interea Imperator identidem studebat conciliare partes diffidentes, præcipue Arsenitas, qui etiam ipsi inter se discrepabant, ita, ut plerique Joannem Tarchaniotam sequerentur. Hi reliquis exprobrare postulatum ignis experimentum; id non ignorantiam modo, sed impietatem dicere; illos appellare cultores ignis; se ab eis disjungere; ac ne loqui quidem cum eis velle. Proinde Imperator Joannem cuidam castro incluserat. Sed vacante tum sede patriarchali Constantinopolim revocato magnam libertatem dedit, sic eum ad concordiam reductum iri sperans. Quin etiam Athanasium Patriarcham Alexandrinum, quem ille magni esse sibi perhibebat, eam ad rem adhibuit. Sed pertinacem rursus carceri addixit iratior quam antea.

Postea

Postea Hyacinthum flexurus pulcher-
rimo donavit equo; sæpe ad alloquium
admisit; & pro pluribus aliis orantem
damnavit voti. At homo callidus illi

Sæcul. XIII.
A. C. 1289.

bellas aliquamdiu spes faciens, diem du-
cebat ex die, atque chimærica profere-
bat. Denique cunctos Imperator ipsorum
contumaciæ reliquit, & cum Senatu ac
Episcopis statuit Patriarcham eligere, vi-
rum tanto dignum fastigio exquirens.
Tres more solito proponebantur; primus
erat Gennadius, qui Justinianæ Primæ
(Achridus hodie dicitur) Archiepiscopus
consecratus, cum ibi per tempus aliquod
mansisset, dignitatem suam missam fece-
rat. Alter fuit Jacobus Abbas montis
Athi vir piissimus & a simplicitate mo-
rum commendandus. Tertius erat A-
thanasius anachoreta prope Adrianopo-
lim natus, qui montibus Gani in Thra-
cia immorabatur alias, sed tunc Constan-
tinopoli agebat, quia eunuchus Eonopo-
lita ejus notitiam dederat Imperatori,
qui magnam ejus existimationem conce-
perat. Gennadius patriarchatum renuit,
quamvis acriter urgeretur, ut acciperet.
Jacobus Athanasius præferebatur: qui &
ipse repugnabat primum; sed tandem
cedere videbatur violentiæ sibi ab Impe-
ratore & Concilio illatæ.

c. 13.

§. VIII.

Sæcul. XIII.
A. C. 1289.

§. VIII.

*Athanasius Patriarcha Constantino-
politianus.*

Gregor. l. 6.
c. 5. **I**s erat homo magnæ virtutis, sed sine litteris, sine usu rerum civilium, a puero laboribus monasticis, jejuniis, vigiliis, humi cubando, secessibus specubusque montanis assuetus. Et vero ab ingressu muneris antecessoribus suis longe dissimilem se præstabat. Per plateas pedibus ibat; gestabat vestem asperam, & soleas rudes sua factas manu; & in simplicitate summa vivebat. Sed ut erat durus erga se ipsum, sic ei deerat humanitas & indulgentia erga alios. Hæc contra eum vituperia proferebantur tunc, cum Imperator de illo eligendo deliberaret: & idem ille in argumentum crudelitatis suæ dicebatur oculos eruisse asino horti monastici herbas depascenti. Alii vero miracula ei tribuentes ajebant eum quodam die collectis herbis onerasse lupum obvium, & portare has in coenobium jussisse. Sed rescitum est postea paruisse hominem Lupum nomine. Nihilominus Imperator libratis bonis malisque de Athanasio dictis, illa præponderare judicans eum creare Patriarcham statuit.

Pachym.
c. 14.

Decla-

Declaravit eum publice in majore palatio 14 Oct. an. 1289: & inde Athanasius pedes ad S. Sophiæ transiit; ubi paulo post fuit inauguratus. Hanc inter, ceremoniam acciderunt levia quædam, quæ Græcorum superstitio accepit in ostenta & omina, Athanasium de sede sua antecessorum instar depulsum iri portendentia. Inter alia observatum est tunc, cum Evangelium pro more collo ejus impositum esset, verba, quæ liber apertus offerebat legenda, execrationes fuisse; ac versis aliquot foliis, nihil melius esse oculis ojectum. Accivit brevi ad se monachos externos, qui austeri nimium videbantur monachis Constantinopolitanis, quos arguebant, quod disciplinæ frena laxarent, duplex quavis hebdomade jejunium non colerent duabus fruendo refectionibus, vino, oleo, condimentis uterentur; verbo: se alerent, ut homines profani; aliqui etiam pecunias haberent. Patriarchæ socii tam curiose indagabant hæc errata omnia, & tam severe puniebant, ut disciplinæ amantissimi non se tutos crederent. Patriarcha Gregorius Cyprius haud multo post obiit ex diuturno morbo; &, ut aliqui perhibebant, ex dolore, quod se contemptum cerneret: vetuitque Imperator, ne humaretur ut Episcopus.

Sæcul. XIII.
A. C. 1289.

c. 15.

c. 16.

c. 19.

§. IX.

Sæcul. XIII.
A. C. 1290.

§. IX.

Papa vult terræ sacræ succurrere.

Sup. Lib. 88. **H**enricus Cypri ac Hierosolymæ Rex
§. 49. amissa Tripoli Joannem Grellium
cum aliis quibusdam ad Papam miserat
Rayn. 1289. rogatum suppetias, & speciatim viginti
n. 69. triremes bene armatas pro custodia Palæstinæ, ac instructas rebus omnibus necessariis ad militiam unius anni. Papa pecuniis hoc fine acceptis usus misit triremes illas duce Episcopo Tripolitano: sed voluit, ut, postquam Ptolemaidem advenissent, una cum copiis, quas veherent, Patriarchæ Hierosolymitano & Joanni Grellio essent subjectæ. Ita scripsit Patriarchæ 13 Sept. 1289. Hæ viginti triremes Venetiis armatæ Ptolemaidem cum attigissent, mercede conducti ac peregrinantes, seu cruce signati, quos illæ advexerant, manebant in terra, & tam parum armorum, ac præcipue balistarum aderat, ut vix tredecim triremes
n. 7. iis instrui possent. Quia Sultanus Ptolemaidem non invasit, ut anno 1290 credebatur, hæ copię nihil magni præstiterunt.
n. 2. Initio ejusdem anni Papa Nicolaus edidit litteras, in quibus captam dirutamque Tripolim, ac summum Terræ sac-

cræ

cræ periculum vehementer exaggerans, Sæcul. XIII.
 Christianos omnes ad militiam sacram A. C. 1290.
 e templorum suggestibus suaderi jussam
 stimulat, & spondet plenam noxarum ve-
 niam, cæterasque gratias cruce signatis
 concedi solitas, etiam absolutionem a
 censuris, in quas incurrissent. Dabat 5
 Jan. 1290. Sub idem tempus Nicolao *Vad. 1290.*
 Hierosolymæ Patriarchæ Latino, Lega- *n. 2.*
 to suo scripsit, ut in terris legationis suæ
 Inquisitores constituat in consilium adhi-
 bens Fratrum Prædicatorum Minorum-
 que Præpositos Provinciales. Nempe in
 Syria & Palæstina confusio ac turbæ
 belli hæreticis ac Judæis impunitatem
 dabant.

§. X.

*Querelæ de Regibus Franciæ An-
 gliciæque.*

Belli sacri negotium promoturus Papa
 duos in Franciam Legatos Cardina-
 les misit Gerardum Parmensem Episco-
 pum Sabinensem, ac Benedictum Caje-
 tanum de S. Nicolao, quos Regi Philip-
 po per epistolam 23 Martii scriptam com-
 mendavit, orans, ut cum eis iniret ratio- *Rayn. 1290.*
 nes tollendi querimonias de vexationi- *n. 29.*
 bus Prætorum, aliorumque ministrorum
 suorum ex tempore Honorii IV ab Eccle-
 siis ac Præsulibus Gallicis ad apostolicam
 Sedem

Sæcul. XIII.
A. C. 1290.

Sup. Lib 87.
p. 40.

n. 17.

n. 18.

Spicil. to. 2.
p. 818.

Conc. to. 11.
p. 1358.

Id. 1289. n.
27. 1290.
n. 33.

Sedem delatas. Dicit se sub initia pontificatus sui similes accepisse querelas speciatim Pictaviensis Episcopi, ac Ecclesiarum Carnutanæ & Lugdunensis. Pictavorum Episcopus erat Gualterius Bruggensis ex Ordine Minorum a nobis jam memoratus, vir diligens oppido & constans in tuendis Ecclesiæ suæ juribus. Ad Lugdunensem quod attinet, de eius controversiis cum Rege postea loquemur. Duo Legati etiam iussi erant Regi Philippo Pulchro subtrahere pecunias decimarum, quas Philippus Audax pater ipsius recepisset ad sumptus expeditionis sacræ, quam executus non esset. Insuper debebant dirimere lites Regi Franciæ cum Anglorum Rege tunc nascentes, quæ consecutiones magnas habuere. Legati cunctis regni Præsulibus Parisiis convocatis ibi concilium celebrarunt in templo S. Genovesæ.

Ad Papam venerant etiam querimoniæ de Rege Eduardo ob plures diminutiones libertatis ecclesiasticæ. Monuerat hunc ille primo per Guilielmum Huttonium ex Ordine Prædicatorum, ab ipso ad se anno priore ob expeditionem sacræ missum, promiseratque fore, ut Nuncium illi peculiarem mitteret. Igitur hoc anno Bartholomæum Rosetanum Hetruriæ Episcopum ex Ordine Minorum ad illum misit cum epistola, in qua dicit:

dicit: Ut comperimus, ii, qui a nobis literas accipiunt ad tribunal sacrum pertinentes, non audent eas exhibere Judicibus: atque, si hoc faciunt, tu prohibes, ne utantur eis: utentes vero sæpe capiuntur, licet sint Clerici. Ducuntur in carcerem ob errata levia, & a nobis acciti non dimittuntur e regno. Demum tua curia cognoscit causas sine dubio ad sacrum spectantes forum, & quas discutendo homo profanus impar est. Itaque per edictum generale has res indignas corrige, ac omnino tolle! alioqui sacra Sedes contra illos, qui eas commiserint, non poterit non statuere, quod æquitas ipsi suggesserit. Dabat 20 Maji an. 1290.

Sæcul. XIII.
A.C. 1290.

Alias per litteras quatruiduo ante datas Papa eidem Regi nunciat se transitum generalem ad terram sacram constituisse in annum 1293 & festum S. Joannis diem; ac præscribit solutiones decimæ ad sexennium ipsi concessæ. Ut vidimus anno 1284 Rex Eduardus Papæ Martino IV significaverat, se statuisse crucem induere, petieratque decimas certis conditionibus, quæ Papæ non placebant satis. Rem continuavit cum Honorio IV & Nicolao IV, sub quo crucis militiam reapse iniit Blangefortii in Vasconia an. 1288. Idcirco Papa Nicolaus cum Legatis hujus Principis statuit

n. 12. 13. &c.

L. 84. §. 11.

Chr. Trinet.
to. 8. Spicil.
p. 653.

Hist. Ecclesiast. Tom. XXII. X tem-

Sæcul. XIII.
A. C. 1290

tempus transitus & conditiones, quibus iste decimam obtineret: ac Eduardus eas accepit. Sed inutile foret eas sigillatim exponere, quia iter transmarinum factum non est.

Rayn. 1290.
n. 9.

Quamquam Rex Philippus Pulcher militiam crucis amplexus non fuerat, Papa tamen Nicolaus eum maxime parem ferendo terræ sacræ auxilio reputans, Joannem Samosium expiationibus præfectum ex Ordine Minorum misit, qui oraret illum, ut triremium, equitumque ac peditum, præsertim balistariorum numerum satis magnum celeriter illuc mitteret; verbo: Palæstinam custodiret usque ad generalem cruce signatorum transitum. Rex suorum sententias exquirebat, qui negotia ei incumbentia ac præsentem rerum statum considerantes censebant terræ sacræ custodiam ei tum quidem non esse suscipiendam, quia, si per adversam fortunam conatus male verteret, culpa in illum forsitan conferretur. Scilicet viri prudentes videbant perbene Palæstinam servari haud posse.

§. XI.

Miraculum Eucharisticum.

Le blanc.
Mon. p. 403.

Hoc anno Parisiis factum est celebre miraculum Eucharisticum. Quædam foemina inops a Judæo quodam triginta

ginta solidos acceperat mutuos, eique o-
 primam togam suam pignori dederat. Sæcul. XIII.
A.C. 1290.
 Trīginta solidi valebant quadrantem li-
 bræ argenti. Instante Paschate mulier Duhrenil
Antiq. p. 977
 Judæum adiit, vestemque suam hac uni-
 ca pro die petiit, quæ hoc anno se-
 cunda Aprilis erat. Judæus reposuit. Dubois hist.
p. 513.
Labb bibl.
to. 1. p. 663.
 Panem, quem in templo accipies, & quem
 vos Christiani vestrum vocat's Deum,
 ad me si attuleris, togam tibi tuam
 semper servandam gratis restituam. Spon-
 dit illa; & acceptam in S. Mederici
 templo parochiali sacram Hostiam ad Ju-
 dæum tulit. Qui cistæ impositam cul-
 tello fodit, sed emitti sanguinem miratur.
 Malleolo clavum in eam adigit: & inde
 cruorem iterum videt fluere. In ignem
 injicit: sed egressa integra per conclave
 circumvolitat. In ahenum ferventis a-
 quæ immittitur: hæc sanguineum induit
 colorem: illa supra eam pendet in aëre.
 Denique Judæi uxor, quam acciverat,
 Christum affixum cruci eo in loco cernit.
 Domus, ubi hæc fiebant, stabat in
 vico, cui nomen tunc ab hortis erat,
 nunc a schedulis est ob insigne seu tesse-
 ram Judæi, ut creditur. Ejus filiorum
 quidam ad ædium portam assistebat, cum
 ad solenne sacrum in proximo S. Crucis
 templo faciendum æris campani pulsu
 daretur signum. Ille multitudinem ho-
 minum præterire videns, quo tenderent,
 X 2 quærit.

Sæcul. XIII. quærit. Adimus templum, inquit,
A.C. 1290. nostrum culturi Deum. Perditis ope-
 ram, ait puer, pater meus illum occidit
 modo. Contemnunt scilicet verba par-
 vuli: sed quædam mulier curiosior in-
 trat Judæi domum per speciem ignis ac-
 cipiendi: hostiam etiamnum in aëre su-
 pensam conspicit, vasculo, quod fortuito
 tenet, excipit, ac defert ad Parochum
 ædis S. Joanni sacrae in Grævia positæ.
 Compertam rem ille Simoni Bussiacen-
 si Episcopo Parisino exposuit: qui Ju-
 dæum cum tota ejus familia capiendum
 curavit: Reus interrogatus fatebatur om-
 nia: sed ad poenitentiam, ac remitten-
 dum Judaicæ superstitioni nuncium sti-
 mulanti Episcopo minime paruit. Qua-
 propter capitali urbis Tribuno traditus,
 damnatus ad rogam, & combustus est.

Uxor ac liberi ejus ad sanam ad-
 ducti fidem, Sacramenta baptismatis &
 confirmationis ex Episcopi manibus ac-
 cepere. Hostia miraculis clara asserva-
 ta est in Græviano S. Joannis templo, ubi
 etiamnum ostenditur. Judæi domum
 populus domum miraculorum vocavit.
 Ibi quadriennio post Renatus Flamingus
 civis Parisiensis suis sumptibus curavit
 exstrui sacellum; postea datum Fratri-
 bus Hospitalariis de Charitate Nostræ
 L. 7. c. 136. Dominæ. Hujus miraculi fama pervasit
 exte-

exteras regiones : ac Joannes Villanus Sæcul. XIII.
A. C. 1290.
illud narrat in sua Florentiæ historia.

Renulphus Humblariensis Episcopus Dubois to. 2.
p. 512.
Parifinus e vita discesserat 12. Nov. 1288.
Inter alia, quæ liberaliter Ecclesiæ do-
navit suæ, trecentas ei libras Parisien-
ses reliquit eo fine, ut institueretur of-
ficium de Conceptione SS. Virginis: id
quod indicat eum fuisse primum, qui hoc
solemne in Ecclesiam Parisinam introdu-
ceret. Collegium ei totum una voce suf-
fecit Italum quendam Adenulphum
nomine Anagninum, qui Præpositus in
S. Audomari, & Canonicus Parisiensis
fuerat, dein se abdiderat in S. Victoris.
Confirmata fuit ejus electio: sed ante-
quam consecraretur, obiit. Itaque an.
1289 in Episcopum Parisinum cooptatus
est Simon Matifas Bussiæensis dictus ex
patria sua in agro Sueffionensi sita. Pri-
mo Jurium Professore egerat, exinde Judi-
cem curiæ Rothomagensis, quæ supre-
mum Normanniæ tribunal erat. Tum
vero Archidiaconi Remensis & Canonici
Parifini muneribus fungebatur, cum epi-
scopale conscendit solium, quod quindecim
annis tenuit.

Per Provinciam & vicinas regiones Rayn. n. 42.
Vading. n. 3.
commercium cum Judæis multas super-
stitiones inter Christianos invexerat.
Multi suis in morbis aliisque difficul-
tatibus tenebant lucernas candelasque

Sæcul. XIII. accensas in synagogis, eoque afferbant
A.C. 1290. dona, ut impetrarent sanitatem ægris,
 faustum iter versantibus in mari, pro-
 speram a prole solutionem parturientibus,
 fecunditatem sterilibus. Quamobrem
 volumen quinque legis libros continens
 eodem, quo Judæi, colebant ritu: quod
 Christianis quoddam idololatriæ genus
 videbatur. Papa tam indignas res sub-
 laturus Fratribus Minoribus Inquisitionis
 officium in provinciis Arelatensi, Aquen-
 si, ac Embrodunensi exercentibus scri-
 psit, ut in illas sedulo inquirerent, ac son-
 tes velut idololatrias vel hæreticos tra-
 ctarent. Dabat 20 Febr. 1290.

§. XII.

Apostolici condemnantur.

Eodem anno Papa Nicolaus quosdam
 Religiosos perhibitos, qui se Apostoli-
Rayn. 1290. cos nominabant, iterum damnavit. In
n. 51. suis hac de re litteris ad omnes Epis-
Sup. l. 86. copos scriptis ita loquitur: Papa Grego-
§. 48. rius X in concilio Lugdunensi conde-
 mnavit cunctos Ordines Mendicantium
 post generale concilium Lateranense in-
 ventos, nec a Summa Sede confirma-
 tos. Nihilominus Papa Honorius IV
 comperit, quosdam contempta hac inhi-
 bitione sub nomine Ordinis Apostolorum
 nova indutos veste in varias orbis partes
 se

se diffundere, colligere stipem, & mali exempli vitam ducere; nonnullos etiam hæresibus infectos esse. Igitur hanc sectam omnino dissolvere voluit, & vobis imperavit, ut omnes illos, qui eam profiterentur, atque vestris in diocesis agerent, per censuras cogeretis ejus vestem deponere, ac exhortaremini ad intrandum Ordinem approbatum aliquem, si vitam religiosam amplecti cuperent. Ecclesiasticas censuras si spernerent, per carcerem eos vel aliter puniretis etiam invocato, si opus esset, Magistratus civilis præsidio, ac prohiberetis, ne Christiani eos reciperent, aut stipe donarent. Habemus hanc Papæ Honorii constitutionem datam 11 Martii an. 1285. Papa Nicolaus eam confirmans addit: Quocirca præcipimus, ut hujus generis homines, siqui vestris in diocesis commorentur, per censuras adigatis, ut omnia veste sua respondeant de capitibus doctrinæ Christianæ, de quibus eos ab Inquisitoribus provinciarum diligenter volumus examinari consultis tamen horum vagantium Præsulibus. Nec permitteatis, ut illi per orbem currant, concionentur, aut confessiones audiant, vel Apostoli dicantur. Hos Apostolicos, ut se vocabant, condemnaverat etiam synodus Cicestræ in Anglia per Episcopum Gilbertum anno priore habita.

Sæcul. XIII.
A.C. 1290.

Bullar. Hon.
IV. Const. I.
Rayn. 1286.
n. 36.

1286
c. 39.
to. 11. Cons.
p. 1352.

X 4 Hujus

Sæcul XIII.
A.C. 1290.

*Legna in
Direct. In-
quis. p. 271.*

Hujus sectæ author creditur Gerardus Segarella Parmæ obscuris natus parentibus, indoctus & parum prudens: qui sub annum 1246, cum esset juvenis, inter Fratres Minores recipi cupierat. Non admittus, in eorum templo hærebat, quantum poterat, & attente spectabat imaginem, quæ Apostolos exhibebat palliis soleisque indutos, ut pingi solent. Itaque homo rudis statuit Apostolorum vitam imitari. Aluit barbam & crines suos: sibi curavit confici vestem nigram cum pallio albo e crasso texto ciicino: assumpsit funem pro cingulo, & soleas more Fratrum Minorum. Tum vendit ædiculam suam, & accepto ejus pretio conscendit saxum, in quo alias Prætor Parmensis ad populum dicebat: accivit homunciones aliquos haud procul inde aleis in foro ludentes; & suam eis pecuniam projecit clamans: Capiat, qui volet, ac sibi habeat! Illi ea mox collecta ludum repetebant suum, impia in Deum verba præsentem Gerardo evomentes.

Cum aliquamdiu Parmæ mansisset solus, socium primo quendam Robertum nomine, qui servierat Fratribus Minoribus, deinde brevi triginta comites obtinuit. Sed quia semper otiosi, nec sectatores suos curæ habere voluit, unus eorum, Guido Putagus dictus itidem Parmensis se illis ducem præbuit: postea hunc

hunc ferendo impares, quendam Mat-
thæum sibi præfecerunt. Jam in multas
Italix urbes se disperferant: & hæc pri-
ma pars Faventiam advenit, ubi tunc e-
rat Gerardus Segarella, qui magna ibi
crimina committebat. Discipuli ejus
exemplo se tradebant omni impuritatis
generi. Valuit hæc res ad augendam
sectam: quæ per totam propemodum
Europam se diffundebat: at Segarella
manebat Parmæ. Urbis Episcopus
tunc erat Opizon a S. Vitale Papæ In-
nocentii IV nepos, qui sub annum 1280
Segarellam captum in carcere aliquam-
diu tenuit: sed cum is insanum se simu-
lasset, hinc eductum in palatio retinuit
suo, ubi omnibus ludibrio idem fuit. Post-
modo de criminibus ejus cæterorum-
que Pseudoapostolorum edoctus Episcopus
eos Parma & tota ex diocesi pepulit an.
1286. Tandem post annos quatuorde-
cim Segarella ejusdem Episcopi & In-
quisitoris Manfredi jussu comprehensus
iterum, damnatus, & combustus est 18
Julii an. 1300.

Sub idem tempus, quo Papa Nicolaus
IV falsos Apostolicos condemnavit, Ray-
mundum Goffredum Ordinis Minorum
Ministram Generalem voluit inquirere in
quosdam ejusdem Ordinis & Narbonen-
sis provinciæ Religiosos, qui Petrum
Joannem Olivam sectantes, statum reli-
quo-

Sæcul. XIII.
A. C. 1290.

Vading.

1290. n. IX.

Bzov. n. 4.

Sæcul. XIII.
A.C. 1290.

quorum Fratrum damnarent, & sibi longe plus familiaritatis cum Deo esse perhiberent; in provinciis tamen offensivam ac turbas excitarent, & errores contra sanam doctrinam spargerent. Raymundus Bertrandum Cigoterium comitatus Vindascimi Inquisitorem illam rem gerere ac sibi perscribere jussit, eandem comitiis brevi Lutetiæ celebrandis expositurus. Eventus docuit quosdam illorum spiritualium, quales quidem se jactaverant, reapse in errores incidisse: quod disciplinæ regulari obfuit: nam quoties aliquis eam instaurandam dicebat, unus de hac secta esse ferebatur.

§. XIII.

Concilium Nugariolanum.

Amanius Gerardi V Comitis Armeniacensis frater annos viginti octo Archiepiscopus Auscensis erat, cum Nugarioli in comitatu Armeniaco sabbato post annuam assumptæ in coelum Virginæ Matris memoriam 19 Aug. 1290 concilium provinciale habuit, cui aderant sex ejus Suffraganei, scilicet Coserani, Oleronis, Tarbarum, Lascuræ, Ariæ, & Vafatarum Episcopi cum Procuratoribus Convenarum vacante sede. Id concilium canones decem edidit. Primus ita sonat: Tarbarum & Oleronis Episcopi Comitem

Gall. Chr.
to. I. p. 110.
to. II. conc.
p. 1353.
Et 2444.

mitem Fuxensem & conjugem ejus ad-
monebunt, ut Episcopo Lascurano ipsius
urbem, arces, ac reliqua loca in monito
nominata intra quindecim dies restituant;
alioquin anathemate devinciendi. Co-
mes Fuxensis erat Rogerius Bernar-
dus, qui uxorem duxerat Margaritam fi-
liam ac hæredem Gastonis VII Pro-Com-
itis Bearnensis, 26 Apr. eodem anno
1290 mortui. Gerardus autem Arme-
niacensis Comes, Archiepiscopi Auscen-
sis frater matrimonio sibi junxerat Ma-
tam Bearnensem Margaritæ sororem,
quæ patrium Gastonis testamentum exe-
qui volebat: unde ortum est bellum diu-
turnum inter familias Fuxensem & Ar-
meniacam.

His in bellis peculiaribus non bonis
ecclesiasticis, non Clero, non ipsis Epis-
copis parcebatur. Et vero hoc in concilio
contra illos, qui Episcopis violentiam
intulerint, renovantur & accumulatur
omnes poenæ, anathema, interdictum,
privatio sepulturæ ecclesiasticæ,
exclusio filiorum a tonsura, & ab ingres-
su cujusquam Ordinis, jactura prædiorum,
aliorumque jurium ab Ecclesia pen-
dentium. Eædem poenæ ex proportio-
nis norma statuuntur pro securitate Abbatum,
Priorum, Archidiaconorum, totiusque
Cleri, ac generatim contra omnes violatores
libertatis ecclesiasticæ.

Idem

Sæcul. XIII.
A.C. 1290.

*Marca hist.
de Bearn.
p. 678. 792.*

c. 6.

c. 7.

c. 10.

Sæcul. XIII.

A. C. 1290.

c. 5.

*Rituale
Paris. ed.*

1654. p. 512.

Idem concilium vetat, ne ad Judicem profanum in actionibus coram & per se obeundis vocentur infecti lepra, probabiliter tanquam constituti sub præsidio Ecclesiæ, quæ ipsos a populo reliquo separabat per quandam ceremoniam, quam in libris rituum etiamnum legimus.

§. XIV.

*Competitores regni Hungarici.**Jo. Thuroz.
c. 81.**J. Villani.
l. 7. c. 134.*

Ladislauum Hungariæ Regem voluptatibus semper atque Cumanis deditum tandem necarunt hi barbari die Lunæ ante diem S. Margaritæ, decimo septimo Julii an. 1290. Quia non reliquerat liberos, tres aspirabant ad coronam Hungariæ, Carolus Martellus filius Caroli II Siculorum Regis & Mariæ Hungariæ fororis Ladislai; Andreas Venetus nepos Regis Andreæ II; & Imperator Rudolphus Hungariam esse regnum fiduciarium Imperii perhibens. Carolum Martellum decem & octo annos natum tanquam regni Hungarici ex Maria matre hæredem Rex pater suus Neapoli per Legatum Summi Pontificis in præsentia multorum Præsulum solenni ritu coronandum curavit die Natali Dominæ Nostræ 8. Sept. an. 1290. Andreas parentes habuit Stephanum filium posthumum Regis Andreæ

dreæ II cognomine Hierosolymitani an- Sæcul. XIII.
no 1235 mortui, & filiam Marchionis Ate- A.C. 1291.
stani. Stephanus fede Venetiis posita,
cujusdam Morosini filiæ connubio de-
vinctus ibi vitam edidit, relinquens fi-
lium Andream, qui opitulantis sibi
avunculis suis locupletibus Venetis vi-
vo Ladislao delatus in Hungariam, do-
milium ibidem fixit; & statim post e-
jus obitum Rex coronatus, maximam re-
gni partem tum volentem, tum invitam
occupavit.

Vivente Ladislao Papa Nicolaus Be-
nevenuto Episcopo Eugubino tanquam *Rayn. 1290.*
suo in Hungaria Legato litteras suas tra- *n. 42.*
diderat: sed illius Principis mortem e-
doctus addidit aliquas ad Imperatorem
Rudolphum, per quas indicabat se me-
tuere, ne hoc regnum Tartari, Saraceni,
ethnici, hæreticique, quibus esset plenum,
gravi religionis damno turbarent. Ora-
bat proin Imperatorem, ut Legato præ- *Rayn. 1290.*
sidium ferret. Dabat 9 Sept. 1290. I- *n. 45. 46. &c.*
nitio sequentis anni eo misit Joannem E-
piscopum Æsinum, qui inquireret, an Rex
Ladislaus criminum suorum poeniten-
tia ductus esset, & an decessisset ut
verus Christianus. Præterea hic Lega-
tus Papæ jussu Imperatori Rudolpho, &
filio ejus Alberto Austriæ Duci denun-
ciavit, Hungariam ad Papam Eccle-
siamque Romanam pertinere, prohibens,
nequis

Sæcul. XIII.
A. C. 1291.

Sup. lib. 63.
§. 11.

nequis hominum, cujuscunque status vel dignitatis esset, in illa jus sibi aliquod assereret, vel ullum ei damnum inferret. Epistolam Papa dederat 2 Jan. 1291. Nempe Rudolphus suum filium Albertum inauguraverat in Regem Hungariæ tanquam regni beneficiarii ad Imperium devoluti. Cæterum illa Papæ assertio non erat nova, quippe annis abhinc ducentis & amplius a Gregorio VII propugnata velut minime dubia.

§. XV.

Service Regis litteræ.

Rayn. n. 43.

Stephanus Rex Serviciæ ac Regina Helena conjux ejus ad Papam Nicolaum miserunt Marinum Archidiaconum Antibarensem, qui peteret viros idoneos docendis saniora & ad Ecclesiæ sinum reducendis Boffinæ hæreticis numerosis oppido ac per dolosos sermones suos catholicam fidem vitiare conantibus. Poscebantur, inquam, viri regionis linguam callentes, & quorum vita bono populis exemplo esset. Igitur Papa Fratrum Minorum per Slavoniam Ministrum Provinciale[m] jussit duos Ordinis Fratres, quales Rex cuperet, seligere in Boffinam mittendos, quos Regi per litteras commendavit 23 Martii an. 1290.

Regina

Regina Helena per eundem Archidiaconum Antibarensem Papæ dici curavit se cogitare futura æstate colloqui cum Bulgarorum Imperatore Georgio, ut eum ad sanam fidem, ac præstandam Ecclesiæ Romanæ obedientiam adduceret; orare proin, ut Papa huic Principi scriberet. Promisit ille lubens, ac Reginam ad pium propositum fortiter perficiendum impulit. Nec Georgio duntaxat scripsit, verum etiam Bulgarorum Archiepiscopum stimulavit, ut Regem totamque nationem Ecclesiæ Romanæ jungere studeret. Sed haud noverat hunc Præsulem, quia ait dubitare se, an is esset idem, quem alias Constantinopoli vidisset. Omnes has epistolas eodem dabat die, nimirum 23 Martii.

Regina Helena & Archiepiscopus Antibarensis scripserunt etiam Papæ Savam Albanæ urbem e diutinis rudibus suis fuisse denuo exstructam, populoque catholico vehementer poscente Episcopum, urbis Clerum iniisse suffragia, & postulasse ab Archiepiscopo, ut electum quendam Sacerdotem Petrum nomine confirmaret; sed illum noluisse id facere sine permissu Papæ. Qui reposuit: Si post inquisitionem debitam videris electionem canonicam, virumque muneri parem esse, de consilio Prioris Dominicanorum, ac Præsidis seu Guardiani Fratrum

Secul. XIII.
A.C. 1291.

n. 40.

n. 38. 39.

n. 42.

Sæcul. XIII. Fratrum Minorum Ragulæ residentium
 A.C. 1291. illam habeas ratam, volumus, ac electum
 deinde consecres. Dabat 11 Junii an.
 Baudrand. 1291. Sub nomine Savæ intelligo Sappam
 Albanæ modo in dirutis cæmentis
 jacentem fuis.

§. XVI.

*Capitur Ptolemis: terra sacra
 amittitur.*

J. Villani
l. 7. c. 138.
S. Anton.
hist. to. 3.
p. 231.

M. S. Victorin.
n. 974.

Occupatio Ptolemaidis & ruina Christianorum in Palæstina Papæ urgentiora brevi negotia faceſſebant. Cum post jacturam Antiochiæ, Tripolis, Tyri, cæterarumque urbium, quas Christiani Latini in Syria habuerant, ad solam urbem Ptolemaidem redacti essent, hæc populo ac viribus magnopere augebatur. Reges Hierosolymæ ac Cypri, Princeps Antiochiæ, Comites Tyrius & Tripolitani, Hospitalarii Templarii que Equites, Legati Papæ, sacri milites Franciæ Angliæque Regum sumptibus sustentati, ibi omnes residebant, ita, ut tribunalia judicio capitali prædita, quorum alia aliis obnoxia haud erant, septendecim numerarentur: quæ res confusionem pariebat magnam. Postquam Rex Henricus cum Kalauno Elalio Sultano Ægyptio fecerat inducias, Ptolemaidem venerunt mille sexcenti circiter

circiter armati tum peregrinantes, cum Sæcul. XIII.
 capientes stipendia, qui se a Papa mis- A. C. 1291.
 sos dicebant, nec adstrictos ad inducias
 sine se initas: nulloque relicto rationi
 loco expilabant ac perimebant omnes
 Musulmannos, qui pacti fide nitentes
 Ptolemaidem alimenta, aliaque venalia
 deferebant. Exhibant etiam explicatis
 cum signis (nam urbs eos sine gravi pe-
 riculo retinere haud poterat) & in vici-
 niam excurrentes diripiebant enecabant-
 que plurium pagorum incolas.

Sultanus re comperta ad eos, qui
 præerant urbi, Legatos misit, qui pete-
 rent injuriarum compensationem, atque
 ut ad ipsum ex induciarum violatoribus
 aliqui mitterentur plectendi. Ptolemai-
 dis incolæ in diversas abibant senten-
 tias, quid respondendum esset: & qui-
 dam asserebant, Christianos ex more
 tam antiquo, ut ejus principium igno-
 raretur, servare inducias cum ethnicis
 non teneri amplius, siquis maximorum
 non teneri amplius, siquis maximorum
 cis mare Principum non alienum esse ju-
 dicaret eas rumpere: hos vero, de qui-
 bus ageretur, venisse a Papa totius or-
 bis Christiani capite. Itaque Sultano Sannit. p. 230
 excusationes solum afferebantur. Qui-
 bus haud contentus mense Octobri an.
 1290 validum ducebat exercitum, Chri-
 stianos Latinos, quotquot in Syria resta-
 rent, deleturus. At in via mortuo suc-
 cessit

Hist. Eccles. Tom. XXII.

Y cessit

Secul. XIII. cessit filius suus Calil, alio nomine Mele-
A.C. 1291. feraf. Hic insistens patris vestigiis ad

p. 231.

Ptolemaidem oppugnandam centum sexaginta millia hominum, ac sexagies mille equites admovit 5 Apr. 1291. Henricus Cypri ac Hierosolymæ Rex 4 Maji attulit suppetias equitum ducentorum, & quingentorum peditum. Interim ethnici aggressiones semper urgebant suas: & tandem die Veneris 18 ejusdem mensis tam violentum fecere impetum, ut intrarent urbem & caperent.

Nang. Chr.
1290.

Obsessorum copias promovebat Magister templi ad hostes repellendos, & fortiter pugnans occubuit. Christiani plerique ad mare, quod habebant liberum, aliqui in templum confugiebant. Rex Henricus noctu se committens mari cum iis, quos adduxerat, & cum ter mille aliis turpem arripuit fugam. Patriarcha Nicolaus, qui obsessos ad defensionem strenue stimulaverat, invitus a suis rapiebatur in lembum, quo propinquam triremem attingeret: sed præ charitatis ardore tot homines in naviculam admisit suam, ut nimio oppressa pondere demergeretur. Sic obiit Latinus Hierosolymæ Patriarcha ultimus, qui ibi locorum resideret: nam illi, quibus Summi Pontifices per intervalla hanc tribuerunt sedem, solum ejus titulum habuere. Erat Ptolemaide monasterium celebre

Pagebr.
to. 14.
Prælim.
n. 272.

celebre Virginum S. Claræ, quarum Antistita Saracenos esse in urbe audiens convocatis in senaculum cunctis fororibus, Filiæ meæ! ajebat, contemnamus hanc vitam, ut nos corpore animoque puras Sponso servemus nostro! facite, quod me agere videbitis! Mox sibi abscidit nasum, & faciem sanguine coepervit: ejus exemplo reliquæ vultum variis secabant modis. Saracenos cœnobium strictis ingressos ensibus in stuporem rapuit hoc spectaculum: horrore postea in rabiem verso singulas trucidarunt. Idem Fratribus Minoribus factum.

Generatim Christianorum occurrentium plerisque cæsis Musulmanni reliquos sine sexus vel ætatis discrimine omnes in captivitatem abstraherent, ita, ut sexagies mille tum cadavera, tum mancipia recenserentur. Urbem, ex quo totius Orientem inter ac Occidentem commercii centrum fuerat, immensis refertam opibus expilabant primum, tum incendebant quatuor in locis; mœnia, turres, templa, domosque diruebant. Hoc Ptolemaidis excidio juste punita reputabantur incolarum corruptissimorum, qui inter Christianos fuerint, flagitia, præsertim impuritas utriusque sexus.

Eodem die, quo capta est Ptolemais, Tyrri relicta urbe sua fugerunt mari. Incolæ

Sæcul. XIII.
A.C. 1291.

Antonin.
to. 3. p. 782.
Vading.
1291. n. 1.

VIII.

annus
1291. p. 111

1291. p. 111

Sanus. p. 231

Y 2

colæ

Sæcul. XIII. colæ Beryti protinus se dediderunt. De-
A.C. 1291. nique Christiani Latini amiserunt, quidquid
 in illa regione habebant reliquum. Eo-
 rum, quibus fuga salutis fuit, major pars
 insulam Cyprum petiit. Hic erat finis
 bellorum pro comparanda vel recipienda
 terræ sacræ possessione, quæ ducentos
 fere annos duraverat.

p. 232.

§. XVII.

*Alphonso Arragonum Regi mortuo
 succedit Jacobus.*

*Mariana
 lib. 14. c. 14.*

*Indic. Arog.
 p. 139. 140.*

Priusquam Papa hujus jacturæ nun-
 cium acciperet, immo antequam ea
 contingeret, inter Aulam Gallicam &
 Arragoniam conflata erat pactio de Sici-
 lia. Nam ineunte Februario duo Pa-
 pæ Nuncii Gerardus ac Benedictus Ta-
 rasconem venerant, ubi aderat Rex Si-
 cilix Carolus cum Legatis Philippi
 Pulchri & Alphonfi Regis Arragonum.
 Pacti conditiones erant, ut Alphonfus
 Romæ per Legatum præteritæ contuma-
 ciæ veniam rogaret; ut Ecclesiæ Ro-
 manæ tributum triginta unciarum auri,
 a proavo suo promissum solveret; ut va-
 lida cum classe terræ sacræ suppetias i-
 ret; ut inde redux matrem Constantiam
 & fratrem suum Jacobum ad abdican-
 dam Siciliam adstringeret; ac severo e-
 dicto cunctos Arragonios pedites equi-
 tesque

tesque hinc egredi juberet; ut Carolus ^{Sæcul.XIII.}
 Valeſius miſſum faceret juſ in Arrago- A.C.1291.
 niam a Papa ſibi collatum; ut Papa Al-
 phonſum in bonam reciperet gratiam,
 Præſulemque mitteret, qui tolleret inter-
 dictum in Arragoniam pronunciatum,
 & obſides Alphonſo a Carolo datos re-
 duceret. Hæc pactio confecta eſt incon-
 ſultis Rege Jacobo & Siculis, qui hoc æ-
 gerrime ferebant, ſed duo Reges Alphon-
 ſus & Carolus illam habuere ratam Jun-
 caria 7 Aprilis.

Alphonſus Arragonum Rex nuptias
 cum Eleonora Eduardi Anglorum Regis
 filia adornabat, cum mortem Barcinone
 obiit 18 Junii anno ſalutis 1291, ætatis
 ſuæ 27. Papa Nicolaus id edoctrus ſcri- *Rayn. n. 53.*
 pſit ad Jacobum fratrem demortui (quem
 non Regem, ſed duntaxat filium Petri
 quondam Arragoniæ Regis nuncupabat)
 & illi præcepit, ut ſe ſubmitteret Eccle-
 ſiæ, Siciliamque, & quidquid ad iſtam
 pertinens poſſideret, omnino Regi Caro-
 lo cederet. Præterea prohibebat, ne
 pluribus cenſuris eccleſiaſticis devin-
 ctus regnum quodcunque, nominatim Ar-
 ragonium & ad id ſpectantia ullo mo-
 do gubernanda ſibi ſumeret, alioqui
 poenis ſacris & temporalibus, prout Sum-
 mæ Sedis viſum fuerit, afficiendus. Da-
 bat 1 Aug. Episcopis quoque, Abbati-
 bus, & toti Arragonio Clero ſcribens gra-
 viſſimis

Sæcul. XIII.
A.C. 1291.

vissimis sub poenis vetuit, ne Jacobum agnoscerent Regem suum. Verum hæminæ ac inhibitiones effectu caruere. Nam ut primum Jacobus sui fratris Alphonsi obitum comperit, relicta Sicilia, cujus regimen alteri fratri suo Fridrico commiserat, in littus Barcinonium exscendit, ac Cæsaraugustam delatus ibi solenniter se coronandum Arragoniæ Regem curavit 24 Sept. 1291.

§. XVIII.

Papæ conatus pro bello sacro.

*Bullar. Nic.
IV. Const. 5.
Canif. to. 1.
p. 344.*

Papa Nicolaus acceptis tristibus Nunciis captæ Ptolemaidis, & amissæ Palæstinæ totius, pro viribus conabatur excitare Christianos Principes ad ejus recuperandæ studium, ac expeditionem sacram post biennium exequendam corroborare. Primo Augusti edidit diploma universos ad Christianos scriptum, ubi ille, qui ei a secretis erat, omnes adhibet figuras, omnes locos communes putidæ temporis illius rhetoricæ exhaurit, ut hanc jacturam ad ciendos animorum motus apte describat, & Christiani eam compensent ductu Regis Angliæ Eduardi cum militibus sacris classem conscensuri festo S. Joannis die anno 1293. Diploma reliquum promittit plenissimam noxarum veniam, cæterasque omnes gratias

gratias sacras & temporales in cun-
ctis ejusmodi litteris toties repetitas. Sæcul XIII.
A.C.1291.
Eodem die datum est aliud diploma ad
omnes Metropolitans, in quo Papa po-
stulat, ut quilibet Archiepiscopus in pro-
vincia sua, & Episcopi in sua quisque
diocesi populos ad bellum sacrum ani-
ment haud obstantibus salvisque manda-
tis, quæ alii hac de re accepissent. Per-
mittit, ut eam suadeant in locis interdi-
ctis, ut suas de eadem conciones au-
dientibus indulgentiam centum dierum
concedant, ut a pluribus censuris Summæ
Sedi reservatis absolvant. Canis.p.352.

Scriptit speciatim Genuensibus ac
Venetis, quippe qui per navalem po-
tentiam suam terræ sacræ subvenien-
do maxime pares essent. Quapropter
eos hortatur, ut pacem ineant, & se-
cundum concilia Lateranense ac Lug-
dunense cum Sultani terris nullum fa-
ciant commercium, præsertim armorum
& materiarum construendis navibus ha-
bilitium. Demum præcipit, ut ad ipsum
Legatos mittant, quibuscum consultet
de melioribus recipiendæ Palæstinæ mo-
dis. Et quia Veneti bello cum Patriar-
cha Aquilejano erant impliciti, Papa mi-
sit Episcopum Urbis Veteris, qui eos con-
ciliando id belli sacri obstaculum tolleret.
Tum Papa Regi Philippo Pulchro scripsit
inter prudentissimos quosque convenire

Rayn.n.23.Et.n. 29.n. 20.

Y 4

neces-

Sæcul. XIII. necessitatem mittendi protinus triremes
A. C. 1291. terræ sacrae auxilio, exhortans, ut ad
 eas pro amplitudine potentia suæ con-
 tribueret, cum reliqui Principes omnes
 expectarent, quid ipse hac in re age-
 ret. Dabat 23 Aug. aliamque per epi-
 stolam instabat Regi, ut crucem indueret,
 aut redderet decimas, quas pater ipse
 in bellum sacrum accepisset.

n. 22.

Nang. Chr.
 1291.

Etiam Franciæ Præsules Papa per
 litteras consuluit, quid ad recuperan-
 dam Palæstinam maxime necessarium
 crederent, modeste orans, ut Regi, No-
 bilium Ordini, & vulgo hanc mentem in-
 jicerent. Parebant Præsules perlibenter,
 ac Metropolitanæ in sua quisque provin-
 cia hunc in finem concilium habuere.
 Tum Papæ confectaria deliberationum
 suarum capita miserunt, scilicet, primum
 conciliandos inter se omnes Principes
 Christianos, ac præcipue Græcos, Si-
 culos, & Arragones pacandos, dein
 canendum esse bellicum sacrum per to-
 tum orbem Christianum, si Summo Pon-
 tifici videretur opus. Is omnes Me-
 tropolitas per litteras pariter jussit pro-
 vincialia habere concilia, & ibi con-
 sultare de rationibus succurrendi terræ
 sacrae, ac speciatim de suggesto sibi con-
 silio redigendi unum in Ordinem milita-
 rem Equites Teutonicos, Templariosque
 ac Hospitalarios. Argentinense concilium

Ann. Eber.
 to. I. *Canis.*
 p. 322.

Chr. Salisb.
 to. 6. *Canis.*
 p. 1275.

to. II. *conc.*
 p. 1358.

Rayn. 1291.
 n. 29.30.

lium Papæ suavit, ut tres Ordines illos Sæcul.XIII.
 conjungeret, observationes optimas feli- A. C. 1291.
 gens, atque in auxilium Palæstinæ fe-
 rendum Regem Romanorum ac Germa-
 niæ Principes vocaret. At Nicolaus IV
 obiit, antequam id responsum veniret
 Romam.

§. XIX.

Concilium Mediolanense.

Omnibus e conciliis hac de materia
 habitis nullum est, de quo nobis su-
 perfit tanta rerum singularum narratio,
 quanta restat de Mediolanensi per Ar-
 chiepiscopum Ottonem Pro-Comitem ce-
 lebrato. Hic cunctis Suffraganeis suis
 præcepit, ut die quarto ante festum S. An- Corio 2. par.
 dreæ, id est, vigesimo sexto Novem- p. 353.
 bris Mediolani adessent; ac vicesimo se- conc. to. II.
 ptimo orsus est concilium in templo S. p. 1361.
 Theclæ, ubi præsidebat in suggestu E-
 piscopos inter & Abbates, Clerumque
 reliquum in dignitatibus constitutum.
 Recitabantur tres epistolæ Papæ: prima
 continebat jacturam Palæstinæ, ac ex-
 hortationem ad bellum sacrum: altera
 Episcopis omnibus imperabat, ut id sua-
 dendum e pulpitis curarent: tertia de
 conjungendis Hospitalariis Templariis-
 que agebat. Tum Archiepiscopus man-
 davit, ut die proximo omnes eodem in

Sæcul. XIII. loco comparerent : quo die 28 Nov.
 A.C. 1291. Oratores duo, Dominicanus alter, al-
 ter ex Ordine Minorum ad exequen-
 dam Papæ mentem, & ad consilia scri-
 pto danda hortabantur. Pridie festum
 S. Andreae Concilium rursus convenit:
 legebantur multæ sententiæ, præce-
 ptumque fuit, ut die postero sub sacri-
 ficio singulares fierent preces, dein scri-
 beretur ad Papam, ut expeditioni sa-
 cræ Regem Gallorum præficeret, & ad
 eam suscipiendam Christianos Princi-
 pes omnes sollicitaret; inter Venetias, Pi-
 sas, Genuam, cæterasque urbes mariti-
 mas pacem procuraret; ad securitatem
 publicam maxime per Montem Ferratum
 præstandam omnes Italiæ civitates fœ-
 dus icerent; Papa rem navalem in ordi-
 nem adduceret vetans commercium
 transmarinum; Equites Hospitalarii,
 Templarii ac Teutonici unum in Or-
 dinem militare, & sub unicum Magi-
 strum redigerentur, quem Papa eis con-
 stitueret. Denique rogabatur Archiepis-
 copus, ut omni pro Clero Procuratorem
 deligeret, qui ampla cum potestate exe-
 quendi omnes concilii sententiâ iret ad
 Papam: illique ad faciendum iter suum
 est spatium datum usque ad anniver-
 sariam lustratæ Virginis diem.

§. XX.

Sæcul. XIII.
A. C. 1291.*Continuatio conatum Papæ.*

Papa Nicolaus ad recuperandam Palæstinam submissos sibi Principes excitate haud contentus, scripsit etiam Imperatori Constantinopolitano Andronico Palæologo, Imperatori Trapezuntino Joanni Comneno, Regibus Armeniæ, Iberiæ, ac Georgiæ, immo Argoni Tartarorum Cano, ad quem misit duos Fratres Minores Guilielmum Cherium expiationibus præfectum, & Matthæum Thietium Theologiæ Professore. Laudabat Canum, quod Christianis faveret, ac permiserit, ut filiorum quidam baptismum acciperet: monebat, ut idem ageret, ac velociter in Saracenos movens recuperationem terræ sacræ Christianis faciliorem redderet. Dabat 23 Augusti.

Rayn. n. 32.
Vading. n. 3.
Ducange famill. p. 192.Vading.
n. 4. 5.

Scripsit etiam Principi salutaribus haud pridem aquis tincto, qui Carbagan-
da prius, tunc Nicolaus vocabatur, suavitque, ut nihil in vestitu victuque mutaret suo, ne popularibus suis displiceret, sed ut ejusmodi rebus uteretur sicut ante baptismum. Hunc is admiserat instante matre sua Eroc-caton Christiana ferventissima: sed hac mortua factus *Mulsulmannus Gajateddin* dici voluit.

n. 8.
Rayn. n. 33.Haiton.
c. 45.

Interim

Sæcul. XIII.

A. C. 1292.

Rayn. 1292.*Vading.**ead.* n. 1. 2.

Interim Rex Armeniæ pressus a Mulsulmannis, quibus resistendo impar erat, ad Papam Nicolaum misit duos Fratres Minores Thomam Tolentinum, & Marcum Monluponium virumque nobilem nomine Godefridum Contesium, qui a Christianis Principibus opem flagitarent. Papa eos ad Regem Franciæ misit cum litteris commendatitiis datis 23 Jan. 1292: simulque indulgentiam militibus sacris concedi solitam promisit Christianis omnibus, qui Armeniæ suppetias irent. At Gallorum Rex urgentioribus negotiis distinebatur: nec effectum habuisse videntur hæ Papæ commendationes.

Rayn. n. 6. 7.*Et.*

Eduardus Angliæ Rex præ se ferebat speciem persistentis in proposito transeundi ad terram sacram: sed a Papa identidem nova poscebat. Misit ad eum duos Equites Joannem a S. Joanne, ac Rogerium Lestrangium cum litteris quarum testimonio plenior ipsis fides haberetur petebantque illi, ut Papa ipsorum Domino daret decimas regnorum, provinciarumque, quarum Principes terram sacram non adirent ipsi; ut omnes cruce signatos cum eo transire per censuras cogeret; utque Cardinalem tanquam Legatum ad expeditionem sacram ei adjungeret. Papa eos in senatu suo auditos remisit cum epistola ad Regem, in qua dicit: Decimas Castilienses Papa Grego-

Gregorius Regi Alphonso certas ob causas concessit : de Gallicis pariter nihil, de Germanicis ac Septentrionalibus parum accepimus : Anglicæ, Scoticæ, Vallicæ, ac Hibernicæ tibi permissæ sunt, ut terræ sacræ subvenias. Vide, quid superfit! Omittimus impensas, quas Ecclesia fecit, facitque assidue, ut debilitet hostes, & transitum maris expeditiorem reddat, magnum semper copiarum ac triremium numerum sustentans. Cæterum non cessat operam dare colligendis decimis, tollendisque omnibus earum obstaculis: nec cessabit ad servitium terræ sacræ tibi aliisque præbere pecuniam de summa, quam habebit in manibus.

Cruce signatos ad transitum compellere si velimus, hic debet ita constitui, ut certum tempus ejus, ac locum conscendendæ classis ac exscensionis noverint, ne videantur ludibrio habiti. Etiam Legatum tibi dabimus, postquam tuum iter adornatum esse resciverimus. Dabat 12 Febr. Quidam Optimates arrogata sibi jura in coronam Scotiæ condonavant Regi Eduardo. Hanc cessionem ut Papa haberet ratam, ille per eosdem Legatos postulaverat. Sed renuit Nicolaus, ne derogaret juri, quod Romana Ecclesia hoc in regnum sibi vendicabat.

Papa

Sæcul. XIII.

A. C. 1292.

n. 10.

n. 13.

Sæcul. XIII.

A. C. 1292.

Alb. Argent.
p. 109.*Steiro an.*
1291. *Hist.**Austr. ann.*
*colm. Ptol.**Luc.*

Papa Palæstinæ juvandæ spem aliquam posuerat in Imperatore Rudolpho. At hic Princeps naturæ cessit anno priorre 1291, tricesima Septembris, postquam undeviginti annos regnaverat, Romæ haud coronatus. Initio hujus anni Rex Romanorum Francofurti electus est Adolphus Nassovii Comes, cui dein Aquisgrani corona fuit imposita. Erat vir eximiis pulchrisque virtutibus ornatus, sed nec dives ipse, nec propinquorum opibus adjutus, quanquam ex antiqua familia. Sceptrum sexennio tenuit.

§. XXI.

Mors Nicolai IV.

Rayn. n. 17. Cuncta belli sacri consilia stitit decessus Papæ Nicolai IV, & longa summæ sedis vacatio. Senio confectus Romæ obiit anniversaria orbis redempti die 4 Aprilis an. 1292, ac sepultus est in templo Majore S. Mariæ, quod reparandum curaverat. Pontificatum gessit quatuor annos ac sex hebdomades: & post ejus mortem apostolica sedes biennio & duobus mensibus vacavit ob discordiam Cardinalium, quorum pars altera duce Matthæo Rubro de Ursinis volebat Papam Regi Carolo acceptum; altera sequebatur Jacobum Columnam. Romæ tunc agebant duodecim Cardinales; sex Romani,

J. Villani

l. 7. c. 150.

Rayn. n. 18.

19. 20.

*Jacob. Stefane/c. ap.**Boll. to. 15.*

p. 439.

Romani, quatuor reliqua ex Italia, & duo Galli. Post Papæ exequias eidem inclusis domui Episcopus Ostiensis Latinus de Ursinis ex Ordine Prædicatorum pulchra oratione suavit, ut celeriter dignum eligerent caput. Sed non movebantur: ac ne in loco quidem manebant. Cum per decem dies fuissent in ædibus, quas Nicolaus IV ad S. Mariam Majorem considerat, ad palatium Honorii IV prope S. Sabinam in monte Aventino situm, inde, quia etiam tum dissentiebant, ad S. Mariam, ubi olim templum Minervæ steterat, transferunt. At sub festum S. Petri diem, seu exeunte Junio ingruent morbi: unde Cardinalis Joannes Cholutus 2 Augusti occidit. Ex undecim Cardinalibus reliquis quatuor Reate profecti æstatem ibi ducebant salubriore utentes aère, scilicet Gerardus Parmensis, Matthæus Aquaspartanus, Hugo de S. Sabina natione Gallus, Petrus de S. Marco Mediolanensis. Sex Romani remanebant Romæ, duo Episcopi, Latinus Ostiensis, & Joannes Tusculanus; quatuor Diaconi, Matthæus Ruber, Jacobus Columna, Napoleon de Ursinis, ac Petrus Columna. Benedictus Cajetanus se suam in patriam Anagninam contulit. Frangentibus se caloribus, morbisque remotis sub medium Octobrem Romam reversi convenere iterum ad Minervam,

Sæcul. XIII.
A. C. 1292.

p. 444.

Sæcul. XIII. nervam, sed suffragiis inter se jungi non
 A.C. 1292. poterant.

§. XXII.

Jacobus de Voragine.

Ughell. to. 4. p. 1230. Summa sede vacante vacabat etiam metropolitana sedes Genuensis, cum Opizon Fiescus Innocentii IV, & Adriani V nepos finem vitæ fecisset eodem anno 1292. Collegium una totum voce successorem elegit Fratrem Prædicatorem

Jac. de Vor. chr. ms. Jacobum de Voragine sic dictum ex patria sua, oppidulo hujus nominis Genuam inter & Savonam sito. Jacobus sub annum 1230 in lucem editus, anno 1244 institutum religiosum Genuæ in coenobio S. Dominici complexus, egregia pietatis ac doctrinæ suæ specimina dedit: Doctorque Theologiæ, concionator celebris, & anno 1267 sui Ordinis per Lombardiam Magister Provincialis factus, hoc officium viginti ferme annis exercuit. Cardinalis Latinus de Ursinis ejusdem Ordinis eum in Archiepiscopum Genuensem consecravit Romæ dominica *Quasimodo* 13 Apr. 1292: & Collegium Cardinalium ei conciliandos Genuæ Guelfos & Gibellinos commisit: quod ille negotium tam bene gessit, ut civitatem per annos quinquaginta distractam in pristinam concordiam reduceret. Nec magis

Bzov. 1292. n. 11.

gis eum eruditio, quam virtus sua com-
mendabat, præsertim summa charitas in
pauperes. Linguam suam optime calle-
bat: fuitque primus, qui divinas leges
tam veteres quam novas Italice redde-
ret. Postquam Ecclesiæ Genuensi se-
ptem annos probitatis exemplo prælu-
xerat, diem obiit mense Junio 1298, &
humatus est in templo sui Ordinis.

Supersunt multa Jacobi scripta; inter
alia Annales Genuæ ac Episcoporum e-
jus usque ad annum 1295 nondum pre-
lo subjecti. Sed celeberrimum ejusdem
opus sunt collecta Sanctorum gesta, quæ
vocantur *Legenda Aurea*, quod nomen
indicat, quanta in existimatione per an-
nos ducentos fuerint. Posthæc exsusci-
tata arte judicandi de libris, ac præpol-
lente veritatis amore opus illud in ma-
gnum contemptum venit propter fabu-
las, quibus est plenum, atque ob etymo-
logias absurdas, per quas inchoantur
pleræque Coelituræ vitæ. Minus hac
de re accusandus est author, quam præ-
rior sensus illius seculi, quo tantum mi-
rabilia quærebantur. Non Jacobus eas
invenit fabulas: cernuntur istæ aliæque
similes in scriptoribus antecedentibus,
velut in Vincentio Bellovacensi: ad sum-
mum addidit quædam ornamenta, cir-
cumstantias, ac sermones verisimiles,
quos excitando ad colendam pietatem
Hist. Eccles. Tom. XXII. Z lecto-

Sæcul. XIII.

A.C. 1292.

Trith. script.

p. 300.

Cave p. 519.

Sæcul. XIII. lectori credebatur idoneos: id quod argute
A. C. 1293. præstitit.

§. XXIII.

Joannis Pecami obitus.

In Anglia Joannes Pecamus, cum Ec-
clesiam Cantuariensem annis tredecim
ac dimidio gubernasset, animam reddidit
hoc anno 1292. Ars studio disciplinæ
ecclesiasticæ, præsertim contra possessio-
nem beneficiorum plurium, contra absen-
tiam, & concubinatum Clericorum.
Sed tanta congestit bona, ut quinquies
mille Sterlingorum libras pretio superan-
tia relinqueret moriens, atque familiam
ditaret suam. Restant plurima illius
scripta, de rebus theologicis pleraque,
sed parum cognita.

*Sup. lib. 88.
§. 13.
Vading.
1279. n. 15.
16. Esc.
Goduin.
p. 142.*

Vading.

*script. p. 217.
Cave p. 513.
Anglia sac.
to. I. p. 11. 12.*

Post ejus mortem sedes Cantuarien-
sis unius anni & novem mensium spatio
vacavit propter longum interregnum Ro-
manum; quo durante Collegium Cantua-
riense in Archiepiscopum suum cooptavit
Robertum Vinchelseensem clarum Theo-
logum. Operam litteris in Anglia datam
Parisiis persecutus, ibi Magister artium
evasit, paulo post in Rectorem Univer-
sitis electus. Oxonium deinde venit,
ubi Doctor Theologiæ, atque Cancellarius
Universitatis creatus est. Tum
Archidiaconus Essexiæ in Ecclesia Lon-
dini

dini factus, sede hic posita officio divino præfens assidue, in pulpito theologico quotidie, in suggestu eloquentiæ sacræ sæpenumero spectabatur. Ejus electio ad sedem Cantuariensem Regem, Proceres, Clerum, ac populum perfudit gaudio. At ipse post triduum ægre animum induxit, ut consentiret. Postea Romam petiit ibi confirmandus. Sed expectanda erat creatio Papæ. Interim animos ita sibi conciliabat, ut supremo honoris fastigio dignus ipse haberetur. Præter dotes præcipuas egregia corporis specie, ac moribus suavissimis excellebat.

Sæcul. XIII.

A. C. 1293.

§. XXIV. DE VACATIONE

Vacatio summæ sedis.

Romæ interea Senatorum designatio ineunte anno 1293 iteranda locum dedit seditioni tam violentæ, ut urbs sex menses careret Senatoribus, ac cives crudele sibi bellum inferrent. Effringebantur portæ, incendebantur turre domusque, utensilia diripiebantur. Tres Cardinalium patria Romanorum, quod se imbecillimos sentirent, cum Matthæo Aquaspartano, & Gerardo Parmensi Reate se contulerunt ibi æstatem acturi: Benedictus Cajetanus Viterbii solus hærebat. Reliqui tres Romani manebant Romæ, nempe Jacobus ac Petrus Columæ,

Boll. to. 15.

p. 440. 444.

p. 445.

Vers. 185.

Sæcul. XIII.
A. C. 1293.

mnæ, & Joannes Buccamacius Episcopus Tusculanus. Hi tres cæteris Cardinalibus ita scripsere: Cum simus Romæ, possemus vobis absentibus creare Papam. Sed malumus vobiscum id agere. Venite proin celeriter, nisi supremam sedem porro vacuam velitis!

Hæc declaratio pariebat metum schismatis, si hinc tres Cardinales Romæ præsentibus contenderent ex privilegio loci se habere jus, quo Papam eligerent soli, illinc cæteri Reate commorantes per suum numerum præpollere velent. Isti quæstionis enodandæ gratia convocarunt viros juris peritissimos, ac de horum consilio per compromissum sumpserunt arbitros; qui judicabant cunctis Cardinalibus conveniendum esse Perusiam altero vacationis anno scilicet 1293, die S. Lucæ 18 Octob. tunc satis propinquo. Cardinales hanc secuti lententiam Perusiam adierunt. Sed effluxit hyems iterum, antequam conspirarent.

Sup. lib. 66.

§. 1.

Trith.

script. p. 299.

Labbe

script. t. 1.

p. 422.

Hoc anno decessit Henricus Gandavensis ob patriam sic dictus suam, Theologiæ Doctor Parisinus tanti suo tempore nominis, ut vocaretur Doctor solennis. Restant multi ejus libri, e quibus notissimus est Index Authorum ecclesiasticorum continuans catalogum Sigeberti Geminiacensis. Henricus Gandavensis.

davenſis erat Archidiaconus Tornaci, u-^{Sæcul. XIII.}
 bi obiit die S. Petri 29 Junii anno ſalutis A. C. 1293.
 1293, ætatis ſuæ 75.

§. XXV.

*Athanaſius Patriarcha Conſtantino-
 politanus miſſam facit dignita-
 tem ſuam.*

Conſtantinopolitanum Patriarcham A-
 thanaſium odioſum reddebant ſe-
 veritas ſua, & multo magis ſui mini-
 ſtri aſperrimi, nimirum monachi extra-
 nei, quos variis ex partibus ad ſe ac-
 civerat. Inſectabantur præcipue mo-
 nachos Conſtantinopolitanos: & crimi-
 ni eis dabant, quidquid remiſſionem
 diſciplinæ vel parum redolebat. Hic
 habuerat aurum, ille veſtem novam;
 duas aut tres tunicas alius; alius cru-
 cem argenteam, vel cultrum affabre
 factum, aut mantile candidum; quidam
 balneo erat uſus, vel ægrotans medi-
 cum conſuluerat. Hæc errata omnia
 caſtigabantur objurgationibus, poenis,
 carceribus, flagellis acerbiffimis. Etiam
 pecuniæ imperabantur cœnobiis per cau-
 ſam tollendæ materiæ cupiditatum.
 Diſciplina ſolutior monachorum urbis
 huic aſteritati anſam præbebat. Non
 permittebat Athanaſius, ut vel delica-
 te

*Pachym. l. 8.
 c. 16.*

*Gregoras
 l. 6. c. 5.*

Sæcul. XIII. te se alerent, vel tenerent pecuniam, vel
 A. C. 1293. in otio viverent. Vestitu eos uti simpli-
 ce, vultu, gestu, moribus modestiam pro-
 fiteri, ac præsertim pedites ire volebat,
 absurdissimum reputans, cum ipse pedes
 incederet, illos exultantibus ferocia e-
 quis sublimes ferri, ac per plates foraque
 publica perstreperet.

Qui vitam monasticam nondum pro-
 be edocti majoris perfectionis specie par-
 vulis se cubiculis includebant; vel qui
 frequentabant Procerum domos; aut
 qui foeminas simplices per vestem dece-
 ptas suam sibi subjiciebant, interdum us-
 que adeo, ut eis hæreses instillarent; de-
 nique, qui vanitatis, vel commodi causa
 fanatici furoris impetum affectabant, sto-
 machum movebant Athanasio, qui omnes
 hos falsos monachos coercere studebat.
 Quos emendari posse putabat, in nume-
 rosa mittebat monasteria, exhortans, ut
 voluntatis suæ abdicationem pro viribus
 observarent. Quos corrigi posse despe-
 raverat, carceribus addicebat per vim sal-
 vandos, vel abigebat ex urbe.

Revocandum ad frugem bonam et-
 iam Clerum curabat: e quo spectabilio-
 res, cum amarum Præsulis fervorem
 mox in trucibus oculis & moribus vidis-
 sent, in domibus se suis clausos conti-
 nebant & abditos, aut etiam ex urbe e-
 gredi cogebantur. Sed eo præcipue ad-
 jecit

jecit animum, ut Episcopos magno ibi numero commorantes in dioeceses ipsorum remitteret; dixitque æquitatem poscere, ut quisque suam regeret instar Patriarchæ Constantinopolim curæ habentis, & suo quisque gregi per se invigilaret, redditus hinc percipere haud contentus. Metuebat etiam, ne in eodem versantes loco alter alterum & ipsum Patriarcham suum clandestinis oppugnarent consiliis. Denique vetabat, ne a dioecesibus abessent suis, nisi cum concilia secundum canones quotannis solita celebrarent, vel spirituale negotium aliquod apud Patriarcham aut Imperatorem gererent: & tunc eos mox redire volebat. Habentur multæ litteræ, quas hæc super re Imperatori Andronico ac diversis Episcopis scripsit.

Emmyvero suum justitiæ studium extendebat ad viros summos, ipsosque Imperatoris cognatos & liberos, qui hujusquam illius reprehensiones minus verebantur: tanquam ille auctoritatem acquisiverat per probatissimam vitam suam & per observantiam, qua Imperator ipsum colebat. Attamen huic Principi fortitudo deerat, qua eum tueretur, aut obsteret clamoribus publicis, contra eundem quarto pontificatus anno sublatis. Primum secreta solum erant murmura:

Z 4

fed

Sæcul. XIII.
A. C. 1293.

v. Boivin.
not. p. 756.

Greg. c. 5.
n. 5.

c. 7.
Pachym. l. 8.
c. 21. 22.

Sæcul. XIII.
A. C. 1293.

c. 24.

Sup. 5. 8.

fed ab his ad apertas querimonias ventum. Omnes confurgebant in Athanasium, Episcopi, monachi, laici: nec leuius ei aliquid intentabatur quam se membratim concisum iri, ni abiret a munere. Quidam de populo conviciis eum ipso in templo violabant: alii foris comparentem lapidibus petebant. Itaque se præter spem suam ab Imperatore destitutum videns discedere statuit, & ut id tuto possêt facere, ab Imperatore præsidium postulavit. Hoc stipatus noctu e patriarchali palatio in monasterium Cosmidion dictum transiit: unde abdicationis suæ litteras ad Imperatorem misit, hanc in sententiam scriptas: Patriarcha sum factus, ut pacem populo Christiano accerferem. Contra spem meam & illorum, qui hanc mihi vim intulerant, res aliter cecidit. Populus me sede mea indignum iudicat. Ego ipse imparem muneri me agnosco. Nempe infirmus sum ac peccatis obnoxius. Abdico sacerdotium. Quas in eo admisi noxas, mihi condonari velim. Sic etiam vobis Deus ignoscat, precor, ac idoneum pastorem tribuat. Athanasius Constantinopolitanam sedem tenuerat quadriennio integro a 14 Octobris anni 1289 usque ad 16 Octobris anni 1293.

§. XXVI.

§. XXVI.

Sæcul. XIII.
A. G. 1293.*Joannes Patriarcha Constantinopolitanus.*

Cum quæreretur, qui Athanasio succederet, erat Constantinopoli quidam monachus Cosmas nomine Sozopolis oriundus, qui post diuturnum matrimonium relicta conjugæ monasticam complexus vitam, & Constantinopolim delatus, monasterio S. Michaëlis ad Imperatorem pertinenti nomen cum dedisset, ibi multa inter munia etiam Ecclesiasticum egerat. Tempore concordie cum Latinis Imperator Michaël hujus cœnobii monachorum sensa volebat noscere, omnes illos, qui se ipsius voluntati opponerent, ejecturus. Horum in numero fuit Cosmas, & carceri mandatus, posteaquam ibi diu libenter hæserat, per preces Patriarchæ Alexandrini libertatem recepit. Tum ad ædiculam suam, quam in quadam insula suam supra fundum condiderat, profectum nosse coepit Magnus Comes stabuli Glabas Tarchaniota monachorum & hominum proborum fautor, ac Imperatori Andronico viri notitiam dedit: quapropter hunc ille Constantinopolim revocatum suo de Matre divina cœnobia præfecit.

Pachym.
c. 27.*Greg. c. 5.*

Z 5

Cos-

Sæcul XIII.
A.C. 1294.

Cosmas erat amœna senectute, in libris profanis hospes & peregrinus, sed humilis, mitisque; ac Imperatori adeo se probavit, ut hic ipsum inter arbitros suæ conscientiæ referret, haberetque pro sancto. Igitur Episcopi, ut Patriarcham eligerent, congregati haud invenere vel gratiorem Andronico, vel huic temporis aptiorem: nam sub illius pontificatu sperabant quietem fore post turbinem per nimiam Athanasi duritiam commotum. Revera Cosmas erat bonus ac misericors; & hanc solam contraxerat labeculam, quod utilitati paululum ferviret suæ non tam ex propensione insita, quam per simplicitatem aliquam & consuetudinem vitæ privatæ. Sic unanimum voce electus, cum nomen Joannis, & ab Imperatore pastorale pedum ex more accepisset, consecratus est Jan. 1294.

Pachym.
l. 9. c. 1.

Poff. p. 568.

Pachym. c. 3.

Hunc per Patriarcham Imperator Andronicus Palæologus Michaëlem suum filium natu majorem, quem sibi anno priore imperii socium asciverat, solenni coronandum ritu curavit in templo S. Sophiæ vigesima prima Maji, qua Græci memoriam Constantini Magni celebrant. Jussit etiam hujus actionis tabulas confici & autoritate publica confirmari, quibus Præsules pro more nomina ipsorum subscribere voluit. Orabat simul, ut

ut adderent anathemata nunquam a Sæcul. XIII.
 bolenda, & terrificentissimas execratio- A. C. 1294.
 nes illius, qui a novo Imperatore de-
 fieret. Id autem Patriarchæ ac Epis-
 copis persuadere haud poterat. Suffi-
 cit, inquit, per leges rebellibus pœ-
 nas irrogari tam rigidas, ut convicti
 mortem quam vitam tolerare malint.
 Non est æquum, & nos, qui commi-
 seratione pleni debemus esse, haud de-
 cet ærumnis ærumnas adjungere, ac
 illos miseros a Christo separare. Te-
 severitatem legum observare convenit:
 nec tuum id officium prætermittere
 unquam potes. Sed perperam ageres,
 si Ecclesiam pro infelicibus deprecari so-
 litam, esse ferream cogeres.

Imperator repulsam ferens, immo non
 ferens respuebat litteras publicas a Præ-
 sulibus promissas; & dolorem eis suum
 declaravit per editam novellam consti-
 tutionem prohibendo dona, quibus Cle-
 rici omnes in consecrationibus Episco-
 porum affici solebant pro sua quisque
 functione. Hunc morem vocans mer-
 catum sacrilegum Clero pudorem in-
 cussit. Quidam Episcopi, ne suis fer-
 vire commodis viderentur, assentiebant
 Imperatori. At plerique obstabant, ex-
 ponendo hanc consuetudinem esse ve-
 terem autoritate legum firmatam; hæc
 jura officiis annexa opus esse ad su-
 sten-

Sæcul. XIII.
A. C. 1294.

stentandos Clericos, illorumque detractionem ministerio sacro obfuturam. Egerunt nihil: sanctio promulgata fuit & munita chirographis Patriarchæ ac Episcoporum omnium, Smyrnensem duntaxat & Pergamensem si excipias. Nempe id non intererat Episcoporum, sed Cleri, qui non consenserat.

§. XXVII.

Cælestinus V Papa.

*Boll. to. 15.
p. 440. 448.
Rayn. 1293.
n. 2.*

Cardinales hærebant Perusiæ, sed suffragiis discrepabant. Hyems fere abierat, cum Carolus Claudus Siciliae Rex e Francia redux advenit Perusiam, ubi suum filium natu majorem Carolum Martellum Hungariæ Regem reperit ex Apulia sibi obviam profectum. Purpuratum Collegium duos Cardinales Diaconos Napoleonem de Ursinis ac Petrum Columnam numero cum Clero misit, qui prope urbem illos exciperent. Cardinales reliqui expectabant eos in vestibulo templi, ac per osculum pacis salutatos inter se confidere medios jusserunt. Regi Siciliae, ut brevi Papam eligerent, adhortanti Cardinalis Latinus respondit omnium nomine. At cum Cardinali Benedicto Cajetano Rex illa de re jurgia nexuit. Paucis diebus Perusiæ actis persecutus iter suum Neapolim attigit.

Supra

Suprema sedes vacabat viginti septem mensibus, & inibat Julius anni 1294, cum Cardinales congregati de morte coeperunt loqui ob Napoleonem, quem abesse coegerat jactura fratris sui per lapsum de equo mortui. Hic, inquam, casus serias Cardinalibus cogitationes injecit: & Joannes Buccamacius Episcopus Tusculanus, Cur ergo diffidemus, aiebat, cur Ecclesiæ tamdiu non damus caput? Cardinalis Latinus addidit, quendam virum sanctum divinitus cognovisse, nisi cito eligeretur Papa, iram Dei erupturam ante quatuor menses, scilicet ante festum diem Sanctorum omnium. Benedictus Cajetanus subridens quærebat, an ille vir non esset Frater Petrus Moronus? Is ipse est, reponebat Latinus: scripsit hoc mihi, seque noctu ante altare supplicem a Deo jussim esse id nobis indicare. Tum Cardinales inter se dicere ea, quæ de homine sancto sciebant. Hic ejus victum, cultumque asperum, ille virtutes, alius miracula extollebat: quidam rogabat, an eum nollent Papam? Et res venit in consultationem.

Cardinalis Latinus animos bene comparatos videns processit in medium, & primus Petrum Moronum elegit Papam: tum petitis suffragiis sex Collegas suo exemplo traxit. Jacobus ac Petrus Colunnæ

Sæcul. XIII.

A.C. 1294.

Boll. p. 449.

Sæcul. XIII
A.C. 1294.

lumnæ declarationem mentis suæ diffe-
rebant, donec constaret voluntas Petri
Cardinalis Presbyteri de S. Marco domi-
suæ ex articulorum dolore decumbentis,

Napoleon accitus venit, ac cæterorum
sensa probavit. Tandem undecim Car-

dinalium, etiam Petri de S. Marco ab-
sentis suffragia cuncta convenerunt: &

in lacrymas soluti omnes se velut divino
afflatus Spiritu sentiebant, ut cooptarent

Petrum Moronum. Quo magis vero ex
norma agerent, Decano suo Latino Epis-

copo Ostiensi dederunt potestatem eli-
gendi Petrum nomine omnium: quod

protinus fecit; ac reliqui electionem ha-
buere ratam. Id continent litteræ pu-

blicæ hac de re confectæ Perusiæ die
lunæ 5 Julii an. 1294. Postea scripse-

runt ad Petrum epistolam, qua eum edo-
cebant electionem, ut acciperet, orantes,

illamque cum decreto ei miserunt per
Beraldum Degotum Archiepiscopum

Lugdunensem, Leonardum Mancinum
Episcopum Urbevitanum, Pandulphum

Pactensem Siciliae Episcopum duosque
Notariis sedis apostolicæ. Mittendi e-

rant Cardinales: at redeunte discordia
id ommissum.

Quinque Oratores pervenerant Sal-
monem, cujus in vicinia Moronus ædi-

culam monti alto ac prærupto imposi-
tam incolebat velut monachus volunta-

rio

luntario inclusus carceri: talis erat electi Papæ sedes. Ejus alloquium postularunt per Abbatem Magellensem de Spiritu Sancto, caput novi Ordinis ab illo conditi. Postridie conscenderunt montem per viam asperrimam, in qua diffluebant sudore, ac vix duo æquatis frontibus procedere poterant. Cardinalis Petrus Columna eis se ultro junxerat. Tandem attigerunt ædiculam Sancti solitarii, qui nisi per fenestram clathratam non loquebatur. Sic eis sui copiam fecit. Per hos cancellos videbant senem annorum septuaginta duorum circiter, pallidum & jejuniis attenuatum, barbam horridam, oculos turgentes lacrymis effusis ob inopinatum nuncium, cujus terrore totus etiam tum trepidabat. Oratores detecto capite in genua provoluti se prosternebant in faciem. Hoc idem faciebat Petrus. Dein Archiepiscopus Lugdunensis loqui orsus exposuit eum omnium sententiis per acclamationem, & contra omnem spem in Papam electum esse, obsecrans, ut consentiret, componeretque turbas, quibus agitaretur Ecclesia. Petrus reponebat: Tam mirus nuncius me prorsus ambiguum consilii reddit. Consulendus est Deus, vos eum pariter orate! Tum decreto electionis per fenestram accepto prostratus iterum aliquamdiu preces

Sæcul. XIII.

A. C. 1294.

Sup. Lib. 86.

c. 34.

p. 421.

p. 451.

p. 452.

Sæcul. XIII.
A. C. 1294.

p. 455.

p. 514.

preces fudit. Quibus finitis aiebat: Ad tales viros, quales vos estis, haud multis opus est verbis. Accipio pontificatum: in electionem consentio: submitto me, nec audeo resistere voluntati divinæ, ac Ecclesiæ deesse in necessitate sua. Mox illi pedibus ejus figebant oscula: ipse labris eorum suavium ferebat, qui laudabant Deum singultientes præ gaudio. Disperfo hujus eventus nuncio, ex omni parte confluebant homines novum visuri Papam: & inter alios illuc venit Jacobus Stephanescus Romanus, postea Cardinalis factus, a quo habemus hanc rerum singularum narrationem. Venerunt Episcopi, Clerici, Religiosi, Comites, Optimates, Nobiles, summi, medii, infirmi: omnes gestiebant conspiciere virum sanctum, qui antea non se spectandum cuivis dederat id cupienti. Carolus Margarellus Regis Siciliæ filius ac Rex Hungariæ nominatus ad hoc spectaculum properabat, ut alii: & pater ejus Rex Carolus Claudus postridie novum adit Papam in Abbatia Spiritus Sancti agentem, quo cum Cardinali Petro Columna noctu transierat. Hoc Spiritus Sancti coenobium prope Sulmonem erat præcipuum Ordinis a Petro Morono conditi, Benedictinam sequentis regulam, & viginti abhinc annos a Papa Gregorio X approbati.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Sæcul.XIII.
A.C.1294.*Papa Aquilæ commoratur.*

Petrus Moronus, quemadmodum res fluxas, ac spes honorum omnes a juventute sua respuens, operam nec juri nec aliis dederat scientiis, sic etiam monachos novæ Congregationis suæ instituerat: qui proin homines erant boni, sed rustici ac illitterati. Diffidebat Cardinalibus totique Clero seculari, & tradebat se Jurisconsultis laicis, quorum dexteritatem ad res gerendas magni faciebat; sed qui erant hospites in materiis ecclesiasticis. Ad Cardinales Perusiam scripsit se tam grandem natu montanoque assuetum gelu per iter sexagies mille passuum æstivos inter calores ad eundis illis imparem esse, ac rogare, ut Aquilam ad ipsum venirent, mentemque hac de re suam perscriberent. Interea petiit illam urbem novam, & *Sup. l. 84.* parum frequentatam hactenus, quippe *§. 37.* annis abhinc quadraginta circiter constructam ab Imperatore Friderico II. Papa eam intrabat sedens in asino frenos a dextra lævaque parte tenentibus Regibus Carolis patre ac filio. Spectatores subibat memoria Christi Domini Hierosolymam ingredientis. Alii censebant, illum fuisse facturum melius, si modestiam

Histor. Eccles. Tom. XXII. A a suo

Sæcul. XIII. suo continens animo equum magnifi-
A.C. 1294. co instructum ornatu ex more incen-
 disse.

Papa Cardinales Aquilæ opperens
 incolis regionis nempe Aprutii varia as-
 signavit munia, & hominem profanum
 sibi a secretis esse voluit: quæ novitas
 videbatur mirifica. *Ughell. to. 8.* Ecclesiæ Romanæ
p. 220. Pro-Cancellarium creavit Joannem de
 Castro Coeli, ex monacho ac Præposito
 Montis Cassini electum Archiepiscopum
 Beneventanum, & a Papa Martino IV
Boll. p. 455. confirmatum anno 1282. Sciebat theo-
 logiam & jus canonicum: sed utilitati
 suæ serviebat: eique tribuebantur plura
 Papæ errata. Hic interim accepit epi-
 stolam Cardinalium, qua precabantur, ut
 adiret ipsos, & consideraret primo ma-
 lum, quod præberet, exemplum trans-
 ferendæ aulæ Romanæ, siquis unquam
 extraneus eligeretur in Papam; dein
 periculum morborum ex illo anni tem-
 pore; postremo sumptus toti curiæ fa-
 ciendos, ut se ad ipsum conferret. Hæc
 scripserant, priusquam epistolam Papæ
 reciperent, quam nacti se clarius ex-
 plicabant hunc in modum: Dura nobis
 accidit nostri evocatio in Apuliam. Nec
 oblitus sumus Gallos institisse Papæ Mar-
 tino IV, ut transfret illuc, cum Arrago-
 nes illi regno minitarentur. At hic sa-
 piens Papa id exponere hostibus, quam
 e suis

e suis exire terris maluit. Agnoscimus ^{secul XIII.} ^{A. C. 1294.} ^{p. 456.}
 ætati tuæ incommodum esse iter mense
 Augusto. Sed lectica ferri potes. ^{Ughell to. I.} ^{p. 86.}

§. XXIX.

Papa inauguratur.

His eorum rationibus neūquam com-
 motus Papa Aquilæ initiari plane
 voluit suafore Rege Carolo Claudio in
 creatione novorum Cardinalium mon-
 strandi, quid posset, cupido Cardinalis
 Latinus Malebranchius de Urfinis tan-
 quam Episcopus Ostiensis debebat Pa-
 pam sacris imbuere: sed animam edidit
 Perusæ 10 Augusti. Papa episcopatum
 Ostiensem Hugoni Seguino Billemi in
 Arvernia nato Cardinali Presbytero de
 S. Sabina contulit, eumque per Archie-
 piscopum Beneventanum consecrari jus-
 sit. Tum electi Papæ insigne seu infu-
 lam auro gemmisque splendidam a Na-
 poleone Cardinali Diacono, qui Aquilam
 cum Hugone venerat, allatam ipse impos-
 suit sibi, simulque sumpsit nomen Cœle-
 stini. Cum Napoleon id pervulgasset,
 Episcopi, Reges, Clerus, & Optimates
 novi Papæ pedes osculatum venerunt,
 qui supra locum editum populo bene-
 precatus est.

Cardinales his rebus cognitis Aquilam properarunt, ubi Cœlestinum die do-
 minica

Sæcul. XIII.
A C. 1294.

minica 29 Augusti novus Episcopus Ostiensis Cardinalis Hugo inauguravit. Matthæus Ruber inter Cardinales Diaconos senior Pallium de ara prehensum illi præbuit, & post sacrum coronam imposuit pontificiam. Deinde Papa supra tabulatum in campestri planitie templo proxima exstructum consedit, ut se monstraret populo: & Aquilam rursus intrabat solennem inter pompam omnium ordinum instructo agmine procedentium candido vectus equo. Denique cum Cardinalibus epulum pro more celebravit.

Etsi nec sanitate mentis, nec iudicio carentem ad loquendum apte, communis tamen vitæ ac civilium rerum ignorantia incertum reddebat & timidum. Parce adhibebat verba, semperque Italica, sermonis Latini non satis gnarus, ut hoc auderet uti; nec unquam ore suo, sed per alios publice respondebat. Quod Cardinales haud consuleret, in delectu Episcoporum & Abbatum falebatur crebro seu per se seu instinctu alieno.

Etiannum Aquilæ versans, ad Episcopos de more circummisit epistolam de pontificatu suo, in qua dicit: Hoc munus *Rayn. to 15.* censebamus nostras adeo superare vires, *app. an. 1294* ut nos terreret, eo magis, quod a longissimo tempore in solitudine viventes cunctas rerum urbanarum curas abdicavimus.

mus. Consideratis tamen malis grandibus, quæ diuturnior in eligendo Papa cunctatio toti Ecclesiæ acciret, ne divino nutui obfisteremus, subivimus onus, imponentis auxilio confidentes. Quæ verba indicant falsitatem rumoris post annos centum sparsi, hunc virum sanctum abuisse primo pontificatum, immo etiam aufugisse hujus evitandi gratia: nec enim id omisisset in his litteris.

Sæcul. XIII.

A.C. 1294.

Petr. Alliac.
ap. Boll.

§. XXX.

Papa Cardinales creat.

Sabbato trimestris ecclesiastici 18 Septembris creavit duodecim Cardinales septem Gallos & quinque Italos. Eorum nomina! Beraldus Degotus filius Domini Villandraviæ in Vasconia sitæ, frater Bertrandi Degoti postea Papæ, & Archiepiscopus Lugdunensis ab anno 1290, modo Cardinalis Episcopus Albanensis. Secundus, Simon Bellolocensis Archiepiscopus Bituricus ab anno 1282, nunc Cardinalis Episcopus Prænestinus. Tertius Joannes Lemonius Cressiaci prope Abbatisvillam in dicecesi Ambianensi natus, frater Andreæ Lemonii postea Episcopi Noviodunensis. Joannes Parisiis eruditus, ac receptus inter Doctores juris Romam transferat, ubi Auditor Rotæ, ac Siciliæ Regi singulariter cognitus fuit.

p. 427.

Gall. Chr.
to. I. p. 325.

p. 179.

Sup. Lib. 88.

s. 33.
Auberi
Card. to. I.

p. 352.

Gall. Chro.
to. 3. p. 821.

Sæcul. XIII.

A.C. 1294.

Modo evasit Cardinalis Presbyter de SS. Marcellino ac Petro. Quartus, Guilielmus Ferrerius Præpositus Ecclesiæ Massiliensis, Cardinalis Presbyter de S. Clemente. Quintus, Nicolaus Nonancurtius Parisiis ex illustri & antiqua profapia natus, Cardinalis Presbyter de S. Laurentio in Damaso. Sextus, Robertus Abbas Cistertii, Cardinalis Presbyter de S. Pudentiana. Septimus, Simon monachus Cluniacensis, ac Rector (Priorem vocant) Charitatis (urbis ad Ligerim sitæ) Cardinalis Presbyter de S. Balbina. Atque hi erant Cardinales Galli.

Inter quinque Italos fuere duo monachi ex Ordine novo per ipsum Papam condito, Cardinales Presbyteri Thomas Teramensis de S. Cæcilia, & Petrus Aquilanus de S. Marcello. Hos Cœlestinus evexit, ut eos apud se haberet, & cum eis exercitia vitæ monasticæ continuaret, quantum dignitas permetteret. Hoc sine in palatio suo parvulum conclave ligneum curavit fieri, quo se per intervalla reciperet, collectiore animo rerum cœlestium meditationi ac precibus daturus operam. Tres reliqui erant Cardinales Diaconi; & de Sancto quidem Angelo Landulfus Brancacius e nobili familia Neapolitana; de S. Nicolao in carcere Tulliano Guilielmus Longius Bergamensis, Regis Siciliæ Cancellarius;

Boll. p. 493.
494.

larius; de S. Cosma Benedictus Cajeta-
 nus Anagniensis, Cardinalis eadem no-
 mina gerentis ac postea Papæ nepos: hic
 solus fuit ex territorio Ecclesiæ.

Sæcul.XIII.

A.C.1294.

Hæc creatio displicebat plerisque ve-
 terum Cardinalium, quippe quibus Papa
 rem celans novorum nomina non dete-
 xerit nisi die Veneris præcedente colla-
 tionem sacrorum Ordinum.

Rayn. 1294.

n.16.17.

Præterea offendebantur, quod Collegas acciperent
 Gallos ignotos sibi, & ipsi Papæ vitam
 solitariam profecuto, ita ut pateret ma-
 nifesto, eum illis purpam dedisse autho-
 re Carolo Sicularum Rege. Huic etiam
 id obsequium præstabat, ut Neapolim, u-
 bi Princeps iste habitabat, sedem trans-
 ferret suam, attractus specie pacis in Si-
 cilia procurandæ, cum tamen tractis ca-
 loribus æstivis venturus Romam merito
 crederetur. Bonus Papa videbatur non
 intelligere, sibi tanquam Romæ Episco-
 po ejus curam per se ipsum agendam
 esse.

§. XXXI.

*Papa Monasticam disciplinam in-
 staurat.*

Vigesima septima Septembris, qua non-
 dum Aquilam reliquerat, novæ mo-
 nachorum congregationi a se formatæ o-
 mne privilegiorum genus tribuit per di-

A a 4

ploma

Sæcul. XIII.
A. C. 1294.

Bullar. Cæ-
lest. Const.
111.

ploma inscriptum Onuphrio Abbati Sulmonensi ad Spiritum Sanctum, cæterisque Ordinis Benedictini Abbatibus, Prioribus, ac Præfectis cœnobiorum hinc pendendum. Ibi eximit eos omni jurisdictione Episcoporum, & in singularem summæ Sedis tutelam recipit. Reddit immunes decimis. Permittit, ut reliquorum Ordinum Religiosos suscipiant; non item, ut ipsi vel subditi ad alios transeant. Dat potestatem de rebus divinis dicendi ad populum, & sacras audiendi confessiones. Denique illis omnia cæterorum Religiosorum privilegia accumulât. Sed postea constricta fuere per diversas Summorum Pontificum sanctiones. Hæc est Congregatio, quæ nomen Coelestino- rum a conditore traxit suo.

Boll. p. 521.

Cogitabat in eam redigere totum S. Benedicti Ordinem: ac mense Octobri Neapolim petens per Montem Cassinum transibat, cujus Abbas tunc erat Thomas Rupensis. Ibi Papa plerisque monachis persuasit, ut deposito amictu nigro ipsius discipulorum vestitum gererent, qui erudissimo panno cinerei coloris erat. Misit eis suorum quinquaginta circiter, eorumque Moderatorem non Decanum amplius, sed Priorem dici voluit. Quin etiam exilio mulctavit veterum monachorum quendam sibi hac in re obsistentem. Sed

Sed hæc mutatio cum ejus pontificatu cessavit.

Sæcul.XIII.
A.C.1294.

Inter Fratres Minores illi, qui se accuratæ disciplinæ studiosissimos asserabant, haud omisere Papæ Coelestini proclivitatem ad severam morum correctionem in rem suam vertere. Itaque ad eum miserunt Fratrem Petrum Macerantensem, qui Liberatum se nuncupabat, & Fratrem Petrum Forosempronianum nuper ex Armenia reversos, & ipsi jam cognitos. Hi adibant eum adhuc Aquilæ commorantem, ac petebant, ut per ejus auctoritatem, cui nemo auderet se opponere, sibi secundum puritatem regulæ suæ, & ad mentem S. Francisci vivere liceret. Facile id concessit Papa, eisque copiam fecit manendi simul, ubicunque ipsis placeret, ut ibi libere severitatem regulæ observarent. Præfecit illis Fratrem Liberatum, & ut ab Ordinis Præpositis majoribus eos tegeret, mandavit, ut se in posterum pauperes eremitas, non fratres Minores dicerent: vocabantur vero postea Eremitæ Papæ Coelestini. Præterea commendatitias eis litteras dedit ad Napoleonem de Urfinis Cardinalem de S. Adriano liberalem oppido virum causisque piis faventem. Hanc Ordinis divisionem molestissime ferebant Ministri majores: sed nihil audebant

A a 5 debant

Sæcul. XIII. debant contra facere durante Cœlestini
 A.C. 1294. pontificatu.

§. XXXII.

Papa gratificatur Carolo.

Etiam Rex Siciliae Carolus e gratia, qua apud Cœlestinum florebat, peculiares volebat fructus percipere. Impetravit ab eo confirmationem pacti, quod cum Arragonum Rege Jacobo conflaverat; & cujus puncta præcipua erant,

Rayn. to. 15. app.

I. Carolus procurabit reconciliationem domus Arragoniæ cum Ecclesia, & revocationem sententiarum omnium latarum in Petrum Regem, Alphonsum, Jacobum, & Fridericum ejus filios. II. Jacobus Arragonius Regi Carolo restituet Ludovicum, Robertum, & Raymundum tres ipsius filios, Berengarium, & cunctos reliquos, quos habet obsides aut captivos, omnesque terras ac loca, quæ cis fretum tenet. III. Post triennium circiter festum Sanctorum Omnium an. 1294 Siciliam reddet Ecclesiæ Romanæ, quæ illam possidebit anni spatio, ac nemini restituet sine consensu Jacobi. Papa Cœlestinus, inquam, ratam habuit hanc pactionem, dummodo Gallorum Rex, & frater ejus Carolus in eam consentirent. Litteras dabat Aquilæ 1 Octobris.

Ludo-

Ludovicus, secundus Caroli Regis filius, & Arragonum Regis captivus, unum & viginti annos habens, necdum tonsura initiatus erat; sed solummodo significabat se cupere amplecti statum ecclesiasticum. Papa tamen archiepiscopatum Lugdunensem, quem Beraldus Degotus sacra purpura & Albanensi infula ornatus vacuum reliquerat, illi Principi juveni non contulit modo, sed & administrandum in rebus tam sacris quam profanis commisit. Diploma datum est Sulmone 9 Oct. sed effectum caruit: ac sedes Lugdunensis non desit vacare nisi post biennium.

III. l. 1. 1.
Sæcul. XIII.
A. C. 1294.

Gall. Chr.
to. I. p. 326.

§. XXXIII.

Papa Cardinalibus displicet.

Ita Coelestinum, tametsi purissima mente ageret omnia, simplicitas, in qua vitam duxerat, penuria experientiæ, infirmitas ætatis, ministrorum, aliorumque, quibus confidebat, fraudes in multis erroribus inducebant, adeo, ut interdum eadem gratiæ tribus vel quatuor hominibus concessæ, chartæ puræ sigillo munitæ, beneficia, antequam vacarent, collata invenirentur. Multa etiam beneficia immo episcopatus largiebatur in absentia Cardinalium, aut præsentibus non consulens. Denique exacer-

Boll. p. 427.
440. n. 1. 457.
Rayn. n. 18.

Sæcul. XIII.
A.C. 1294.

Rayn. app.
to. 15.

acerbavit summopere Cardinales renovando decretum de conclavi viginti ab hinc annos a Gregorio X editum, sed executioni non datum. Tres hac de materia sanctiones fecit Coelestinus. Per primam sustulit suspensionem executionis a suis antecessoribus imperatæ. Per alteram absolvit Regem Carolum a juramento, quod Cardinales eum voluerant addere promisso se nullis includendi ædibus, nec detinendi in regno ipsius, si Coelestinus ibi vitam poneret. Per tertiam iussit observari decretum de conclavi, seu moreretur Papa, seu munus abdicaret suum. Scripta fuit 9 Decembris, postquam exuere pontificatum jam statuerat. Et vero de hac agendi ratione conquesti Cardinales quidam, cum Ecclesiam & urbem Romam tali sub regimine in periculo esse cernerent, Papæ Neapolim adeunti insinuebant necessitatem deponendi muneris, quod salvis æqui rectique legibus retinere haud posset.

§. XXXIV.

Papa missam facit dignitatem suam.

Instante dominici adventus tempore Coelestinus parvulo conclavi, quod in palatio sibi faciendum curaverat, pro more

more suo se inclusit, relicta interim tribus Cardinalibus potestate expediendi suo nomine cuncta negotia. Mandatum confectum erat, sed nondum obfirmatum; cum Cardinalis Matthæus Ruber de Urfinis Roma Neapolim reversus, insultates mandati hujus, quod tres facere Papas videretur, Coelestinum edocuit, idque tollere coëgit. Tum iste suo in secessu res sacras meditans, vidensque quantum descivisset a perfectione, ad quam appropinquasset antea, inter lacrymas agebat: Hoc in orbe omnem in animas potestatem habere dicor: cur ergo meam nequeo in tuto ponere, ac exonerare me omnibus his curis, ut tranquillitatem meam æque ac alienam procurem? Num id, quod fieri non potest, a me postulat Deus, nec extulit me, nisi ut præcipitem ageret? Video distractos Cardinales: & querimonias de me omni ex parte audio. Nonne præstat mea rumpere vincula, & sacram sedem relinquere viro, qui Ecclesiam regere in pace queat? Si tamen licet hoc loco cedere, ac meam repetere solitudinem.

Hoc in dubio confugit ad libellum placita juris summatim continentem, quem suo in recessu consuluerat, ut suam scientiæ inopiam suppleret. Videbat ibi cuivis Clerico licere beneficium aut dignita-

Sæcul. XII.
A.C. 1294.

p. 458. c. 3.

p. 459.

Sæcul. XIII.
A.C. 1294.

dignitatem suam abdicare justam ob causam ac ex consensu Præpositi sui. Ambigebat vero, an Papa neminem se superiorem habens hac generali regula comprehensus esset. Igitur rogavit amicum quendam, qui reponebat: Potes haud dubie, dummodo sat causæ habeas. Habeo plus quam satis, subdebat ille, ac meum est id judicare. Consultore alio idem censente perstabat in sententia. At res non latuit Cœlestinianos, sive monachos novæ Congregationis assidue circa Papam versantes. Hi nihil non agebant, ut eum averterent a proposito, dicebantque se, si destitueret ipsos, exagitatum iri undique, nec diu staturus esse se. Quin etiam Neapolitanus populus ab eis clam stimulatus ad arcem, quam Papa incolebat, venit tumultuans, effractisque portis ad ejus conclave usque penetravit, in quod viri nobiles per rumpebant aspectum ejus postulantes. Ipse prodiit ad eos, & in sermone suo dissimulare susceptum consilium tam egregie sciebat, ut eosdem placaret.

Post quinque dies convocatis Cardinalibus exponebat vitam suam in quiete ac inopia ductam, delicias mentis ibi gustatas, & gratias a Deo acceptas cui bona sua omnia, nullum sibi tribuebat. Tum addebat lacrymans: Mea ætas, mei mores, meæ linguæ rusticitas, experientia,

IX. *cau- Am- supe- com- nium- haud- Ha- e, ac e alio a. At e mo- re cir- on a- osito, exa- os es- pulis- quam- effra- ne pe- rum- ipse- timu- leie- Dardi- quiete- si gu- ni bo- tebat- s. mei- rian- tia,*

tiae, ingenii, ac prudentiae meae parvitas mihi afferunt metum periculi, cui sum expositus in sacra sede. Quapropter a vobis consilium vehementer cupio. Possumne tuto cedere? An Ecclesiae non proderit, si ab dico artem imperandi, quam nescio? Cardinales re probe perpensa suadebant, ut porro per aliquod tempus tentaret, quid posset, mala fugiens consilia, quae negotiis ac ejus existimationi obessent, spondebantque successum prosperum, si fidem ipsis haberet. Interea publicas preces ac supplicationes praeciperet, per quas rogaretur Deus, ut indicaret, quid Ecclesiae suae saluberrimum foret.

saecul. XII.
A. C. 1294.

Igitur solennis supplicatio habebatur a primario Neapolis templo usque ad arcem regiam, quam Papam incolebat, ut refert Ptolomaeus Lucensis, qui aderat. Intererant multi regionis Episcopi cum Religiosis omnibus, omnique Clero. Cum ad arcem ventum est, universum agmen supplicum exclamabat, benedictionem a Papa postulans. Accessit is ad fenestram cum tribus Episcopis: & postquam cupientibus bene precatus fuerat, quidam Episcopus ex ordine supplicantium ejus alloquium petiit: tum nomine Regis, Cleri, populi, regnique totius contenta illum voce orabat, ut, cum esset gloria regni, nullo se modo pateret

Boll. p. 427.

Sæcul.XIII.
A.C.1294.
teretur adduci, ut dignitati suæ nuncium remitteret. Unus eorum, qui cum Papa erant, hoc jubente respondit, id illud haud cogitare, nisi aliam videat causam, ac religione huc adstringatur. Post hæc p.428. Episcopus, qui pro Rege ac regno loquebatur, præcinuit *Te Deum*, & suam quisque domum rediit. Hæc facta sunt initio Decembris sub diem S. Nicolai: credebantque omnes ac ipse Rex Cœlestinum mutasse animum.

p.460.c.15.
Sed die S. Luciae 13 ejusdem mensis senatum habuit, in quo cum sederet trabea coccinea, cæterisque ornamentis indutus suis, clausam papyrum prompsit, & monitis Cardinalibus, ne ipsum interpellarent, aperta charta hæc verba legit: Ego Cœlestinus Papa hoc nomine quintus demissione animi, infirmitate corporis, inopia scientiæ, malignitate populi, legitimis sane causis permotus, ac ne vulnerem conscientiam, ut præteritæ vitæ meæ tranquillitatem & consolationem reperiam, perfectionemque assequar, pontificatum ultro & sponte depono, atque hoc munus & hanc dignitatem expresse abdicō, sacro Cardinalium collegio plenam & liberam faciēns potestatem ex hoc ipso temporis momento universalis Ecclesiæ pastorem secundum canones cooptandi. Cardinales continendis lacrymis ac suspiriis impares

Vading.
1294. n. 6.
Boll. p.460.
c. 17.

impares erant : & Matthæus Ruber Senior inter Diaconos omnium nomine dixit: Sancte Pater! si fieri nequit, ut statuas aliud, per sanctionem declarâ expresse, quemlibet Papam suam dignitatem exuere, & collegium Cardinalium ejus abdicationem accipere posse. Annuit Coelestinus, & Matthæus Ruber dictavit constitutionem, quæ postea sexto decretalium inserta fuit.

Sæcul. XIII.
A.C. 1294.

De renunc.
c. 1.

Tum Coelestinus abiit a Senatu: & Cardinales habita deliberatione cessationem ejus admirati, revocatum monebant, ut maneret tranquillus, & oraret pro populo, quem pastore destitutum relinqueret. At viri species iterum eos in lacrymas solvit: nam positis omnibus suæ dignitatis insignibus monachi simplicis vestem resumpserat. Sacram sedem tenuerat a suffragiis sibi latis quinque menses, & aliquot dies; ab imposta sibi corona tribus mensibus ac dimidio. Hæc Papæ Coelestini abdicatione diversas in partes accepta fuit. Qui rem ex communi hominum profanorum sensu metiebantur, habebant eam pro imbecillitate & abjectione animi: sed sapientissimi eandem veluti summæ virtutis effectum admirabantur.

Dante Inferno canto.
3. fol. 20.
Petrar. vit.
solit. 2. c. 17.

§. XXXV.

Hist. Eccles. Tom. XXII.

B b

Sæcul. XIII.
A. C. 1294.

§. XXXV.

Bonifacius VIII. Papa.

Boll. p. 462.
Rayn. n. 23.

Post Coelestini cessionem Cardinales decem diebus secundum regulam prætermisissis, in regia sacro inclusi comitio rem divinam & consuetas preces peragebant: atque 24 Decembris pridie Natalem Christi an. 1294 pluribus suffragiis in Papam elegerunt Benedictum Cajetanum Cardinalem tunc Presbyterum de SS. Silvestro & Martino. Ille Bonifacius VIII dici voluit. Erat Anagniensis, & Leufredi Cajetani filius. A juventute suam animum ad Jura applicans, hujus facultatis Doctor, tum Canonicus Parisinus & Lugdunensis evasit, ac Romæ Advocati & Notarii pontificii muneribus fungebatur. Primum Cardinali Ottobono Papæ in Anglia Legato, deinde an. 1280 per Papam Nicolaum III Cardinali Matthæo Rubro adjunctus est ad pactiorem inter Rudolphum Regem Romanorum & Carolum I Regem Siciliae. Anno sequente a Martino IV Cardinalis Diaconus de S. Nicolao creatus, & ad eundem Regem Carolum missus est, ut eum a certamine singulari cum Petro Aragonum Rege abduceret. A Nicolao IV in Apulia Legatum agere, postea Lusitaniae Clerum cum Rege Dionysio re-

Sup.

conci-

conciliare jussus est. Idem Papa eum Sæcul. XIII. A.C. 1295.
 fecit Cardinalem Presbyterum, & cum
 Cardinali Gerardo Parmensi misit direm-
 ptum controversias inter Reges Arra-
 gonie ac Sicilie Alphonsum & Caro-
 lum, atque inter Reges Anglie ac
 Francie Eduardum & Philippum Pul-
 chrum.

Bonifacius suum pontificatum or- Boll. p. 462. c. 4. Rayn. 1295. n. 1. 2.
 fus est a revocatione gratiarum, quas
 Coelestinus impertiverat, cujus simplici-
 tate multi erant abusi: & hæc revoca-
 tio facta fuit de consilio Cardinalium die
 S. Joannis Evangelistæ 27 Decembris.
 Tum iturus Romam posthabita aeris a- Boll. p. 463.
 speritate Neapolim reliquit ineunte Ja-
 nuario anni 1295. In patriam suam A- p. 440. n. 13.
 nagniam delatus saltationes, aliaque
 publicæ lætitiæ signa spectabat: vene-
 runtque illic numerosi Nobiles Romani,
 ut ei dignitatem Senatoris offerrent,
 quam accepit. Roma eum quasi ex ho-
 stili carcere elapsam excipiebat. Ordo
 Nobilium in equis, Clerus cum incen-
 so ture inter cantus procedebat obviam.
 Papa primum petiit Lateranense S. Joan- p. 465. 466
 nis templum: dein habitatum conces-
 sit in Vaticanum palatium. In S. Pe-
 tri basilica die dominica 16 Januarii so-
 lenniter consecrato ad ejus portam in fa-
 stigio graduum imposita est corona,
 quam Constantinus S. Silvestro donasse

Sæcul. XIII tunc credebatur. Tum Papa Lateranen-
 A.C. 1295 se templum equestrem inter pompam a-
 p. 469. c. 8. dibat: duo eum Reges comitabantur pe-
 dites: pater Siciliae Rex frenum equi a
 p. 471. latere dextro, filius Hungariae Rex a læ-
 va parte tenebant. Idem Principes ei
 Rayn. app. nati. Bonifacius, antequam inaugura-
 to. 15. retur, super altare S. Petri juravit se tui-
 turum fidem & disciplinam Ecclesiae, ac
 speciatim octo concilia generalia. Hoc
 indicat eam jurandi formulam minimum
 decimi fuisse seculi.

§. XXXVI.

Cælestini fuga & captivitas.

Boll. to. 15. Interim Bonifacius singulari attentione,
 p. 440. 475. quid suus antecessor Petrus Moro-
 nus ageret, observabat, veritus, ne essent,
 qui ejus simplicitate abuterentur, eum-
 que ad resumendam dignitatem pristi-
 nam inducerent; aut invitum agnosce-
 rent Papam, & abdicare munus non po-
 tuisse causarentur: quod reapse perhibe-
 bant aliqui. Quocirca humaniter eum
 tractabat, secum ducturus Romam. Sed
 cum comitatibus aliquot, qui viro invi-
 gilarent, præmissum, noctu e sociorum
 manibus, ut suam prope Sulmonem ædi-
 culam repeteret, cum uno tantum juve-
 ne sui Ordinis Religioso aufugisse inopi-
 nate

nate comperit Neapoli abiens prima vel **Sæcul. XIII.**
 secunda Januarii. Hoc nuncio commo- **A. C. 1295.**
 tus misit, qui eum insequerentur: ac
 repertus est prope Viestam maritimam
 Apuliæ Dauniæ urbem. Nam se quæ-
 situm iri prævidens, in Græciam transi-
 re decreverat securitatis causa: sed con-
 trarius eum ventus detinuit; & quam-
 quam personatus, fuit agnitus. Papæ
 Bonifacii ac Regis Caroli jussu compre-
 hensus est quidem, sed magna cum re-
 verentia: populus enim semper pro San-
 cto eum habens, de toga ejus particulas
 refecabat, & asino ejusdem setas evelle-
 bat quasi reliquias. Bonifacius addu-
 ctum benignâ comitate, magnisque lau-
 dibus excepit, & Anagniam primo mis-
 sum denique permovit, ut in Fumonio
 Campaniæ castro se permansurum pro-
 mitteret.

§. XXXVII.

*Bonifacius Principes reconciliare
 studet.*

Papa Bonifacius iterum ratam habuit
 pactionem inter Arragoniæ ac Si-
 ciliæ Reges Jacobum & Carolum jam a
 Papa Coelestino confirmatam: per quam
 Jacobus spondebat se Siciliam Papæ ar-
 bitrio permitturum, qui ei omnia in re-
 gnum Arragonium jura reddebat, hujus

Rayn. n. 21.

*S. Villani
 lib. 8. c. 13.*

Bb 3 con-

Sæcul. XIII. concessionem per Martinum IV Carolo
A.C. 1295. Valefio factam ex ipsius consensu revo-

Sup. l. 88.
s. 10.

cans. Diploma Bonifacius dabat 21 Junii an. 1295; & subscripserant septendecim Cardinales. Sed illud pactum, quantum ad Siciliam attinet, effectu caruit. Nam Fridericus, quem ibi Rex Jacobus frater suus reliquerat, ibidem perstitit, quamvis eum Papa per litteras Legatosque suos ad pacem accipiendam & executioni dandam adducere conaretur.

Rayn. n. 32.
33. &c.

Id. n. 41.

Nec felicius eam curabat Franciam inter & Angliam, etsi duos hoc sine Cardinales Legatos mitteret, scilicet Berardum Episcopum Albanensem, ac Simonem Episcopum Prænestinum, qui Parisios mense Majo, in Angliam ineunte

Chr. Nang.
Westmon.
p. 424.
Valsing.
p. 64.

Julio advenerunt anno 1295. Honorifice illos accepit Rex Eduardus, ac Præfules Proceresque Westmonasterium congregavit 5 Augusti. Ibi exponebatur

Legatis belli causa, & ad pacis consilia, quæ protulerant, respondebatur, hæc tamen non posse inconsulto Rege Romanorum Adolpho Navio. Poscebant saltem inducias, quod eodem tempore Galli Durovernum captum incendissent. Sic Legati in Franciam redierunt infecta re, nisi quod multum pecuniæ ab

Rayn. 1295.
n. 46.
1296. n. 18.

Angliæ Religiosis elicuerint. Papa vero a festo S. Joannis die unius anni inducias inter Reges Romanorum, Franciæ,

ciæ, Angliæque ex autoritate sua im-
peravit sub anathematis poena, nisi pare-
rent. Regi Romanorum illas indixere
Archiepiscopus Rhegiensis, ac Senensis
Episcopus: sed duo Cardinales Regibus
Angliæ ac Franciæ illas non denuncia-
runt, seu quia sperabant fore, ut eos ad
aliquam pactionem inducerent; seu po-
tius, quia eos ab illis abhorrere nimium
videbant.

Sæcul. XIII.
A. C. 1295.

De S. XXXVIII.
Apamiensis episcopatus.

Interim Papa Bonifacius Regem Philip-
pum Pulchrum per litteras oravit, ut
Apamiensem Abbatem & coenobium
S. Antonini contra molitiones ac violen-
tias Rogeri Comitis Fuxensis prote-
geret. Haud multo post hanc abbatiam
in episcopatum erexit. Tenebant eam
Canonici Regulares: & sub annum
788 condita erat in honorem S. Antoni-
ni Martyris, cuius nec tempus constat
nec historia. Satis est verisimile eum
esse eundem, qui Apamiæ in Syria co-
lebatur. Bonifacius in diplomate ere-
cti huius episcopatus, quod 16 Septem-
bris an. 1295 dabat, ita loquitur: Papa,
qui totius gregis catholici supremus
est pastor, qui a Domino plenitudinem
potestatis accepit, & cui nemo non
est

Rayn. n. 52.
Hist. de
Bearn. p. 785

Tillem. to. 4.
v. 465. 719.
Gall. Chr.
t. I. p. 158.
Hist. Bearn.
p. 786.

B b 4

Sæcul. XIII. est obnoxius, diœceses interdum jungit,
 A.C. 1295. nonnunquam dividit, pro ratione tempo-
 rum & causarum. Consideravimus au-
 tem Tolosanæ diœceseos amplitudinem
 facere, ut Episcopus eam recognoscere,
 ut deberet, nequeat magno animarum
 damno, illiusque redditus esse tantos,
 ut Episcopis pluribus sufficerent. Qua-
 propter Papa Clemens IV. regionis sta-
 tum callens, diœcesim Tolosanam dispartiri decreverat: & nos de consilio Cardinalium ac ex plenitudine potestatis nostræ urbem Apamiam in civitatem episcopalem ereximus: hanc jurisdictione Tololani Episcopi, cuius in diœcesi fuerat, omnino exemptam esse, ac ei propinquum S. Martini templum, ubi corpus S. Antonini Martyris asservari dicitur, pro cathedrali servire volumus. Tum Apamiensis Episcopi redditus, ac diœceseos limites designat. Episcopum Tolosanum vel hujus Metropolitan Archiepiscopum Narbonensem, aut Regem consensisse nullo verbo memorat: e contrario, siquis erectæ sedi novæ obfistat, cujuscunque sit dignitatis, illi anathema intentat. Primus Episcopus Apamiensis fuit Bernardus Sessletius ad S. Antoninum Abbas, cui Papa Bonifacius hunc detulit honorem: ac novæ cathedralis Ecclesiæ Canonici mansere Regulares, ut etiam hodie sunt.

Gall. Chr.
 p. 162.

§. XXXIX.

Continuatur vita Raymundi Lulli.

Sub Bonifacii pontificatu Romam rediit Raymundus Lullus: igitur, quæ huic porro acciderint, nunc enarrabo. Anno 1287 Parisios delatus, jubente Universitatis Cancellario Bertoldo Dionysopolitano suum de *Arte Generali* librum palam exposuit: visaque Parisina litteras discendi methodo, sub annum 1289 Cestronem reversus ibi suam *Inveniendæ Veritatis Artem* composuit, quam Genuæ dein Arabico sermone tradidit. Inde Romam secundo profectus, cum regnaret Nicolaus IV, an. 1291 instabat, ut exstruerentur cœnobita pro studio linguarum Orientis, ac militares Ordines conjungerentur. At cum rem parum promovisset ob negotia tunc Romanam curiam occupantia, Genuam rediit transiturus ad ethnicos tentandi causa, quid solus facere posset, ut adjungerentur Christo. Sperabat enim, se, si cum doctis eorum viris loqueretur, per artem suam eis demonstraturum mysteria SS. Triadis, & naturæ divinæ cum humana junctæ. Hoc ejus propositum, cum Genuæ innotuisset, magnopere probabat populus. Sed ad iter accincto, postquam suos libros & sarcinulas jam in

Sup. lib. 88.

f. 45.

Vading.

1295. n. 15.

Boll. to. 23.

Inveniendæ p. 645. 663.

p. 664.

Bb 5 navem

Sæcul. XIII navem portandas curaverat, subito in
A.C. 1295. mentem venit se, post suum adventum
occisum illico a Saracenis, vel saltem
perpetuo carceri addictum iri: proin
hærebat Genuæ. Aucta vero navi
suum abjectum animum & offensionem
hominum adeo erubescens, ut æger
decumberet, frustra reluctantibus ami-
cis, antequam curatus esset, concendit
aliud navigium Tunetum iens. Illic
bona delatus valetudine, congregatis
sensim Musulmannis doctioribus, Chri-
stianæ, agebat, fidei rationibus probe
instructus religionis vestræ argumenta
cognitum veni, ut amplectar eam, si
hæc fortiora videro. Auditis illorum
rationibus respondit facile, adjungens:
Quivis homo sapiens debet sectari fi-
dem, quæ Deo plus bonitatis, poten-
tiæ, gloriæ, ac perfectionis attribuit,
& quæ causam primam inter ac ef-
fectum ejus majorem statuit conve-
nientiam. Sic per ratiocinationes me-
taphysicas summa illis mysteria, quo-
rum meminimus, probare studens, se
multis ea persuasisse credebat, quos
preparabat ad baptismum: cum Mu-
sulmannus quidam, vir spectatus, Regi
Tunetano exposuit, hunc Christianum
eyvertere ipsorum religionem conari, o-
rabatque, ut eum securi percuti jube-
ret. Rex inito consilio inclinabat ad

Ray-

Raymundi cædem: sed a prudente Mulfanno alio mutatas, satis habuit præcipere, ut homo protinus pelleretur ex regno, lapidibus obruendus, si rediret: ac revera parum abfuit, quin alius Christianus ei similis lapidum grandine ejus loco peteretur.

Sæcul. XIII.
A.C. 1295.

Raymundus Tuneto Neapolim profectus, artem ibi suam docere, ac libros componere pergebat, mansitque inibi usque ad electionem Papæ Coelestini. Reversus deinde Romam Bonifacio VIII commendabat res tamdiu in visceribus ac medullis hærentes sibi, præcipue instituendum studium linguarum Orientis: sed nihilo plus effecit, quam alias. Idcirco Genuam, & postea Parisios rediit, ubi agebat mense Augusto 1298.

p. 446.

Papa Coelestinus Patriarcham Hierosolymitanum creaverat Radulphum Granvillanum ex Ordine Prædicatorum, & Parisiis consecrandum curaverat an. 1294. At Bonifacius VIII Radulpho Romam delato subrogavit quendam Landulfum nomine, quem Syris Regibusque Cypri & Armeniæ commendavit.

Nang. to. II.
Spic. p. 589.
Papebr. to. 14. p. 70.
Rayn. 1295. n. 48.

XL.

Sæcul. XIII.
A.C. 1295.

§. XL.

Creantur Cardinales.

*Vading. n. 9.
Ciacon.*

*Boll. to. 15.
p. 438.*

*Rayn. 1296.
n. 1.*

Trimestri ecclesiastico Adventus domini hoc anno 1295 Papa creavit quinque Cardinales; & primum quidem Fratrem Jacobum Thomasiu[m] Caeteranum ex Ordine Minorum Anagninæ sua ex sorore natum. Hunc fecit Cardinalem Presbyterum de S. Clemente. Alii quoque Fratri Minori cognato suo scilicet Andreae Anagninensi ex familia Comitum Signiæ sacram destinabat purpuram; sed sanctus vir eam constanter renuit. Accepit autem Franciscus Cajetanus Papæ Bonifacii ex fratre Godefrido nepos, Cardinalis Diaconus de S. Maria in Cosmedin. Tertius fuit Franciscus Napoleon de Urfinis Cardinalis Diaconus de S. Lucia. Quartus Jacobus Stephanescus Romanus, qui Latino carmine Cœlestinum electum, ac Bonifacium coronatum scripserat. Evasit vero Cardinalis Diaconus de S. Georgio ad Velum Aureum. Quintus pariter Cardinalis Diaconus de S. Maria Nova erat Petrus Valentinus Privernas; qui sub Papa Cœlestino Ecclesiæ Romanæ Pro-Cancellarium egerat. Papa Bonifacius eum paulo post Legatum misit in Hetruriam, Æmiliam, Marchiam Anconitanam, vicinasque pro-

provincias, dissidentes populos pacandi gratia, instructum potestate irrogandi poenas sacras & temporales authoribus turbarum & pacis hostibus. Mandatum dedit 29 Apr. 1296.

Sæcul. XIII.
A.C. 1296.

§. XLI.

Papæ Cælestini obitus.

Interea Petrus Moronus, qui Papa Cælestinus V fuerat, Fumonix arcis turri firmissimæ inclusus hærebat, custodiam diu noctuque agente præsidio sex Equitum, ac militum triginta. Præbebatur ei largiter victus necessarius, quo paratissime utebatur pro veteri more suo: sed ad ejus conspectum nemo admittebatur. Poposcerat duos Ordinis sui Fratres, quibuscum divini officii pensum persolveret: atque concessi erant. Sed carcerem tam angustum diu tolerare haud poterant: efferebantur ægri & alii eis succedebant. Locus tam arctus erat, ut vir sanctus de nocte dormiens collocaret caput ibidem, ubi ponebat pedes de die sacrificans. Cuncta hæc incommoda, & ferociam excubiarum ferebat ita, ut nullum impatientiæ signum ederet.

Decem mensibus hoc in carcere tractis, die Pentecostes 13 Maji an. 1296 peracta re divina ad accitos Equites custodes

Boll. to. 15.
p. 476. 496.

Sæcul. XIII. stodes suos dixit se ante dominicam po-
A.C. 1296. steram moriturum esse. Et vero eodem
 die violenta correptus febris extremam
 unctionem petiit, qua accepta, in tabula
 tapete trito velata, ut voluerat, postus
 die sabbati 19 mensis, cum vespertinas
 preces suis cum Religiosis absolveret, Spi-
 ritum Deo reddidit. Quidam ex vigi-
 libus ejus Papæ Bonifacio aliisque po-
 stea indicarunt, se a die Veneris usque
 ad Sancti obitum vidisse parvam coloris
 aurei crucem in aëre suspensam ante to-
 res penetralium ejus. Sepultus est Fe-
 rentini in templo sui Ordinis. Cardina-
 lis quidam a Bonifacio missus exequiis
 ejus interfuit: & ipse Papa Romæ solen-
 ne pro eo sacrum fecit.

§. XLII.

*Fridericus Siciliae Rex.***Rayn. 1297.****n. 18.****Ind. Arrag.****p. 144.**

Initio hujus anni Papa Bonifacius in
 gratiam Jacobi Arragonum Regis di-
 ploma edidit, in quo deplorata terræ
 cræ jactura dicit: Inter omnes Principes
 Christianos nullum ferendis Palæstina
 suppetiis aptiorem videmus quam Ja-
 cobum Arragonum Regem cum Roma-
 na Ecclesia recens reconciliatum. Hunc
 per vitam suam constituimus ejus Vexil-
 larium, & Imperatorem omnium copiarum
 navalium, quas illa colliget, ac suis
 alet.

alet sumptibus, ut eas secundum manda- Sæcul. XIII.
 ta, quæ ab eadem acceperit, sive ad Pa- A.C. 1296.
 læstinam adjuvandam, sive contra quos-
 libet illius hostes ducat. Fusc adjicit
 condiciones; inter alias istam: Quam-
 diu Jacobus id obsequium præstabit per
 se ipsum, decimam proventuum ecclesia-
 sticorum ex omnibus terris suis per trien-
 nium, & cuncta legata pia ad emolumen-
 tum terræ sacræ destinata recipiet. Dabat
 20 Jan. 1296.

Eodem tempore Bonifacius omnibus *Ib. n. 6. 7. &c.*
 viribus conabatur Siculis ac Friderico
 Arragonio persuadere, ut pactionem in-
 ter Reges Carolum & Jacobum factam
 exequerentur, ac Siciliam Ecclesiæ Ro-
 manæ permitterent. Sed operam lusit.
 Fridericus & Siculi Papæ Nuncios ne *n. 14.*
 auditos quidem contemptim nec sine mi-
 nis remisere. E contrario Fridericus in
 Sicilia Regem electus inaugurandum
 se solenniter & coronandum curavit Pa-
 normi die Paschatis 25 Martii eodem an-
 no 1296. Papa id edoctus die Ascen-
 sus Domini 3 Maji contra eum litteras
 divulgavit, in quibus summam repetit
 rem Siciliae ab aggressione Petri Arrago-
 num Regis; postea Fridericum per nefas
 horribile ac puniendam juris alieni oc-
 cupationem coronatum asserit; hanc ac-
 tionem ac electionem præviã declarat
 nullas; prohibet, ne Fridericus nomen
 Regis

Sæcul. XIII.
A. C. 1296.

n. 15.

Regis usurpet, aut Siciliæ regimini lo-
immisceat; præcipit, ut is ad suum of-
ficiam erga summam sedem infra octa-
vam S. Petri redeat, alioqui poenis sacris
ac temporalibus afficiendus; vetat sub
anathemate, nequis Christianorum illi
vel Siculis opem ferat; cunctaque pri-
vilegia eis a summa Sede concessa re-
vocat. Fridericum ac Siculos haud
movebant hæ minæ: quas Bonifacius
die dedicatæ basilicæ S. Petri i 8 Novem-
bris iteravit; sed incassum rursus.

§. XLIII.

*Sanctio cui initium: Clericis
laicos.*

Nec melius illi evenit cura pacis
Franciam inter & Angliam: est
per litteras 13 Augusti datas volebat
renovare inducias inter Adolphum, Phi-
lippum, ac Eduardum anno priore impe-
ratas; & ultimo Martii Archiepiscopo
Moguntino scripserat, ne Imperatori A-
dolpho hac in re subveniret, quidquid iu-
rasset denique, Procedebat bellum: ne-
que credebant hi Principes regionum sua-
rum rationes negligendas in gratiam Pa-
pæ, vel ejus iudicio submittendas esse,
ut ipse contenderet. Et quia belli sum-
ptus sustinendi causa non populo tan-
tum, sed Clero etiam tributa imponebant,
Papa

n. 18.

*Nic. Trivet.
to. 8. Spicil.
p. 683.
Sup. 5. 37.
Rayn. n. 20.*

Papa hoc anno celebrem edidit sanctio- Sacul. XIII.
nem inchoatam per voces: Clericis lai- A. C. 1296.
cos; cujus hæc est summa.

Clericis laicos infensos esse & antiqui- *Preuv. dif-*
tas docet, & hodierna experientia nobis *fer. p. 14. c. 3.*
manifesto declarat, cum isti minime con- *de immunit.*
siderantes se nullam in illos, eorumque *in 6.*

bona potestatem habere, Præsules Cle-
rumque tam Religiosum quam secularem
gravibus tributis premant. Et quod do-
lentes referimus, quidam Præsules, &
alii viri sacri majestatis caducæ quam
æternæ offensam magis reformidantes
in his fori alieni usurpationibus acquie-
scunt. Igitur eis obviam ituri volumus,
ut cuncti Præsules atque Clerici seu
Religiosi seu seculares, qui laicis proven-
tuum suorum decimam, vel aliam par-
tem similem quamcunque auxilii substi-
diive pecuniarii, aut alio nomine sine
consensu Summæ Sedis solverint; ac
Reges, Principes, Magistratus, omnes-
que cæteri, qui exegerint illam vel
irrogaverint; aut qui eos ope vel consi-
lio hac in re adjuverint, jam tum in a-
nathema incurrant, quod tolli nisi ab a-
postolica Sede nequeat; nec ullum no-
stræ huic sententiæ obstet privilegium.
Illa laicorum a Clero alienatio, quam
principio memorat, non redibat ad tan-
tam antiquitatem; quia primis sex aut
quinque seculis Clerus per suam agendi

Hist. Ecclesiast. Tom. XXII. C c ra-

Sæcul. XIII. rationem benignam oppido & a quæren-
 A.C. 1296 dis commodis alienam omnium amorem
 ac reverentiam sibi conciliabat.

Westmon.
p. 426. 428.

Exeunte anno priore Angliæ Clerus
 Regi Eduardo decimam annuerat. Sed
 hoc anno 1296 die S. Martini senatum
 habuit, in quo cives illi denarium o-
 ctavum, reliqui duodecimum concesserunt,
 Clerus nullum. Rex indignatus
 ei spatium hac de re deliberandi, ac
 responsum sibi gratius reddendi præstitit:
 & interea horreorum ad Clericos
 spectantium portas omnes obsignari iussit.
 Tum Archiepiscopus Cantuariensis
 Robertus Vincheseanus in singulis tem-
 plis cathedralibus promulgandas curavit
 Papæ litteras quas modo retuli.

Preuv. diff.
p. 13.

Gallorum Rex Philippus Pulcher 17
 Aug. an. 1296 sanctionem fecit, qua
 omnibus cujuscunque status vel nationis
 hominibus interdixit, ne aurum vel ar-
 gentum in massa, vasis, ornatibus, ac mo-
 neta, ne annonam, equos, arma & ap-
 paratus belli sine expresso permisso regio-
 e Francia eveherent, alioquin fisco addi-
 cendos. Alio edicto vetuit, ne in Gallia
 hæerent exteri, & commercium ibi fa-
 cerent. His decretis offensus Papa

Ibid. p. 15.
Rayn. n. 25.

illis litteras misit, in quibus primum
 extollit libertatem Ecclesiæ Christi spon-
 sæ, quippe cui hic dederit potestatem
 imperandi Christianis omnibus & sin-
 gulis.

gulis. Deinde ad prohibitam pecuniæ exportationem veniens ait: Si hanc inhibitionem auctores sui voluissent extendere ad nos, ad Præsules fratres nostros, & Clerum reliquum, illa non imprudens modo, verum etiam insana esset, cum nec tibi, nec cæteris Principibus profanis ulla in eos potestas sit; & incidisses in anathema ob læsam libertatem ecclesiasticam.

Sæcul. XIII.
A.C. 1296.

Posthæc Papa explicat sanctionem Clericis laicos: & declarat, non se prorsus vetuisse, ne quod pecuniæ subsidium Regi Clerus pro regni necessitatibus ferret; sed solummodo, ne id faceret sine permisso sacrae Sedis. Addit: Romanorum & Angliæ Reges suas tecum controversias iudicio nostro permittere non recusant. Nec est dubium, quin nostrum sit sententiam de his dicere, quia illi perhibent te in se peccare. Finit minitendo Regi, se ad remedia magis extraordinaria descensurum. Dedit Anagninæ 21 Sept. & misit per Episcopum Vivariensem.

§. XLIV.

Gallorum Regis responsum ad Papæ jura controversa.

Regis nomine responsum est hunc in modum: Nullo non tempore Rex

C c 2 Fran-

Secul. XIII.
A.C. 1296.

Diff. p. 21.

Franciæ scribere edicta potuit, per quæ sibi caveret ab incurfibus hostium, ac regno suo nocendi vias his præcluderet. Atque ista fuit ratio, ob quam Rex hodiernus pecuniæ, armorum, equorumque ac similiarum rerum exportationem prohibuit. Sed addebat: sine suo permisso, ut, quando has res pertinere ad Clericos, ac exportationem suo regno haud obesse sciret, eam in cognitione causæ permetteret. Ecclesia Christi sponsa non constat ex solo Clero, sed etiam ex laicis: ille liberavit eam servitute peccati, & iugo antiquæ legis; eosque omnes quibus eadem continetur, Clericos ac laicos hac libertate frui voluit. Non pro solis Clericis est mortuus; nec illis solis gratiam in hac vita, & in altera gloriam promisit. Igitur Clerus non sibi soli, nisi per errorem, arrogare potest libertatem, quam Christus nobis comparavit. Sed dantur immunitates peculiariæ Ecclesiæ Ministris a Christi Vicariis concessæ rogatu vel saltem permisso Principum profanorum, quibus illæ nequeunt adimere necessaria ad regimen ac tutelam suarum regionum. Clerici sunt regni membra sicut laici; & quod consequitur, ad ejus conservationem contribuere pecuniam tenentur eo magis, quod illorum bona, licentiæ belli præcipue sint exposita. Repugnat juri natu-

ræ inhibitiō penſionis hujus, dum per-
mittitur, ut illi amicis, vel ſannionibus
largiantur, ac in veſtes, equos, convivia,
& alias res fluxas, profanasque ſumptus
ſupervacaneos non ſine pauperum damno
faciant. Timemus Deum, & honoramus
Eccleſiæ Miniſtros: ſed hominum minas
rationi contrarias haud formidamus,
cum certum ſit juſtitiam a nobis ſtare.
Author deinde approbat Philippi Regis
rationem agendi cum Regibus Angliæ
ac Romanorum.

§. XLV.

*Ægidius Romanus Archiepiſcopus
Bituricenſis.*

Frater Ægidius Romanus inſignis Do-
ctor ex Ordine Eremitarum S. Augu-
ſtini ab illo electus eſt Præpoſitus Gene-
ralis in comitiis Romæ habitis 6 Jan.
1292. Cumque Simon Bellolocenſis
creatus Cardinalis ac Epicoſopus Præne-
ſtinus menſe Septembri an. 1294 ſedem
Bituricenſem reliquiſſet vacuam, Papa
Bonifacius hoc anno 1296 eam tribuit
Ægidio Romano, qui eandem viginti an-
nis tenuit. Superſunt permulta ejus
ſcripta theologica, & philoſophica ſe-
cundum principia Ariſtotelis: & ſcho-
laſtici eum vocabant Doctorem funda-
tiſſimum. Vidimus tamen eum decem

*Duboulaï
to. 3. p. 671.
Gall. Chr.
to. 1. p. 180.
Patr. Bitur.
p. 121.
Nang. Chr.
an. 1295.
Cavo p. 251.*

*Sup. lib. 88.
§. 17.*

Sæcul. XIII. abhinc annos adactum fuisse, ut quasdam
A.C. 1296. propositiones suas retexeret.

§. XLVI.

*Guilielmus Durantius Episcopus
 Mimatensis.*

Eodem anno 1296 e vita abiit Guilielmus Durantius Episcopus Mimatensis pariter ex sua doctrina clarus. Puffinonienſis in Provincia ortus, cum Bononiæ Juribus navasset operam, accepta facultatis laurea palam ibidem ac Mutinæ docuit. **Cave p. 516.** Causas tractabat tam dextere, ut forensis usus pater appellaretur. Papa Clemens IV itidem natus in Provincia eum sui sacelli Præpositum ac Generalem palatii sui Auditorem seu Judicem constituit. Durantius Bellovacensem etiam & Narbonensem Canonicum egit, ac Decanum Carnutensem. **Ughell. 10.2. lit. p. 989.** A Nicolao III S. Petri Patrimonio & tractus Ecclesiastici copiis præfectus multas de rebellibus Æmiliæ urbibus palmas retulit. **Ibid. p. 384.** Stephano Episcopo Mimatensi mortuo Durantius tum Decanus Carnutensis subrogatus per compromissum, & ab Honorio IV confirmatus est 4 Febr. 1286. Cum archiepiscopatus Ravennensis an. 1294 per decessum Bonifacii Lavanienſis vacaret, Papa Bonifacius VIII Durantium eo transferre voluit: qui autem renuit, obiit.

obiitque Romæ die festo Sanctorum O- Sæcul. XIII.
 mnium an. 1296, humatus in templo S. A. G. 1296.
 Mariæ supra Minervam: ubi epitaphium
 ejus etiamnum cernitur.

Nobilitarunt eum scripta sua, quorum
 præcipua duo sunt *Speculum Juris*, un- *Lib. 8. c. 9.*
 de *Speculator* dictus est, & *Rationale di-*
vinorum officiorum, quod absolvit an. 1286,
 ut ipse refert. Id opus commendant ve- *Lib. 6. c. 8.*
 stigia disciplinæ veteris, quæ ibi habentur.
 Exempli gratia: qui accipiebant
 baptismum, immergebantur in aquam:
 & veluti per regulam cavebatur, ne is
 extra necessitatem conferretur nisi pridie
 Pascha & Pentecosten: ideo quoties
 fontes solenni precatatione lustrabantur,
 saltem pauculi infantes iis ad salutem
 tingi solebant, ut conservaretur rei me-
 moria. Officium sabbati sancti etiam *c. 78.*
 tum dicebatur noctu in plerisque locis:
 & qui interdium id recitabant, non incipie-
 bant nisi hora decima, nempe quarta ve-
 spertina. Sacra confirmatio mox daba- *c. 84.*
 tur post baptismum, aut septem diebus
 ferius. Lector attentus ibi plures ejus-
 modi antiquitates videbit.

Huic Præfuli successit nepos suus, no- *Ughell.*
 minatus & ipse Guilielmus Durantius *p. 389.*
 Archidiaconus Mimatenfis, quamvis
 necdum sacros Ordines, vel ætatem
 haberet ad episcopatum necessariam,
 C c 4 quem

Sæcul. XIII. quem illi Papa tradidit per diploma da-
 A. C. 1297. tum 17 Decembris 1296.

§. XLVII.

*Controversia inter Regem Angliæ
 Et Archiepiscopum Cantua-
 riensem.*

Die S. Hilario sacra 14 Januarii an.
 1297 Robertus Archiepiscopus Can-
 tuariensis Londini in templo S. Pauli cum
 suis Suffraganeis concilium provinciale
 habebat. Ibi per dies octo agebant de
 petito a Rege subsidio; nec invenire
 modum poterant, quo ei facerent satis.
 Qua re is graviter offensus eos declara-
 vit expertes tutelæ suæ; misit eis ob-
 viam viros, qui velut aperto in bello eis
 optimos equos adimerent; interdixit
 legulejis suis, ne pro illis in curia re-
 gii ærarii, vel coram reliquis tribuna-
 libus causam dicerent. Mandavit præ-
 terea, ut omnes Clerici aut proven-
 tuum suorum partem quintam sponte
 ipsi penderent, aut universa bona sua
 derelinquerent. Quidam in aula fun-
 gentes officiis gerebant morem, ut re-
 dimerent ejus præsidium, atque cæteros
 suo exemplo post se traherent. Pro-
 Comites occupata mox cuncta Cleri
 bona, quæ moveri tum poterant, tum
 nequi-

Westmun.

p. 492.

Nic. Trivet.

to. 8. Spicil.

p. 682.

nequibant, & in beneficiariis laicorum Sæcul. XIII.
 prædiis erant, fisco regio addicebant: A. C. 1297.
 pretium quoque imponebant illis, ut quam
 primum eadem venum exponerent.
 Capiebantur etiam bona Archiepiscopi
 Cantuariensis, qui paulo plus æquo fir-
 mus in sententia, qua Regi obstabat, vi-
 debatur, & malum patiente ferebat ani-
 mo. Clerum totum magnæ premebant
 angustia: siquid Regi tribuerent, me-
 tuebant, ne incurrerent in anathema
 diplomatis: *Clericis laicos*: si concede-
 rent nihil, videbant haud posse se effugere
 vim in se irruentem.

Vigesima sexta Martii eodem anno
 1297 Archiepiscopus Cantuariensis ite-
 rum quosdam suis e Suffraganeis convo-
 cavit in ædem S. Pauli Londinensem: p. 430.
 ubi duo Advocati, totidemque Fratres to. II. Conc. p. 1421.
 Prædicatores pro viribus demonstrabant,
 Papæ inhibitionem non obstare, quin
 Clerus belli tempore Regi de suo succur-
 rere possit. Ibidem vetabatur etiam sub
 poena carceris, ne quod anathema con-
 tra Regem ac illos, qui tutelam ejus im-
 plorassent, promulgaretur, eo quod is pro
 se ac illis ad Romanam curiam appel-
 lasset. Ita solutum est concilium, post-
 quam Archiepiscopus monuerat, ut si-
 bi quisque Præsulum, quantum posset,
 consuleret.

Sæcul. XIII.

A.C. 1297.

Ibid.

Tribus post mensibus edidit editum, in quo ait: In ultimo concilio Londinensi post diem S. Hilarii celebrato statutum est, ut in cathedralibus cæterisque cujusvis dioceseos templis anathemate majore devincti denuntiarentur omnes illi, qui bona ecclesiastica auferrent non permittentibus Dominis aut ipsorum Prætoribus. At postea comperimus cum dolore, has denunciations omnino aut ex parte commissas esse a quibusdam Collegis nostris: quod improbis addere posset animum talia perpetrandi crimina, qualia jam commiserat. Dein Richardo Episcopo Londinensi, cui hanc sanctionem *p. 1423.* inscripsit, præcipit, ut anathema in singulis suæ dioceseos templis curet promulgandum ardentibus cereis & inter sonum æris campani: nam laicorum mentes, adjungit, magis feriunt ejusmodi ceremoniæ, quam anathematis ipsum. Dabat 10 Jul. an. 1297. Atque credendum est hoc præscriptum ad reliquos provinciæ Episcopos missum fuisse.

*Westmunst.**p. 430.**Trivet.**p. 686.*

Rex Eduardus reconciliato secum Archiepiscopo ereptas possessiones restituerat, se præparans ad transitum in Flandriam: & quarta decima ejusdem mensis Julii tabulatum in grandi aula Westmonasteriensi exstructum conscendit

dit comitantibus se filio suo, & Archiepiscopo, Comiteque Varvicensi, præsente populo. Ibi Rex diffluens lacrymis, magna animi modestia errorum veniam petebat; fatebatur se non ita præfuisse subditis, ut debuisset: excusabat tributa eis imposita per necessitatem propulsandi hostes regni: spondebat se post reditum suum eis omnia redditurum; atque, si non rediret, commendabat eis suum filium coronandum. Archiepiscopus solutus in lacrymas id promittebat: & universus populus fidelitatem suam extensis indicabat manibus.

Secul. XIII.
A.C. 1297.

§. XLVIII.

Papa Sardiniae Regem constituit.

Jacobo Arragonum Regi eodem anno 1297 Romam delato Papa Bonifacius 4 Aprilis Sardiniam & Corsicam pro ipso ac omnibus ipsius posteris jure fiduciario contulit ea lege, ut Ecclesiae Romanae *Rayn. 1297.* certum copiarum numerum subministraret, & quotannis bis mille selibrarum argenti censum solveret. Possessionem ei tradidit per poculum aureum, & fidelitatis juramentum ab eo recepit. Hoc illi regnum jam sponderat per diploma 20. Jan. 1296 datum, cum eum Ecclesiae

Sæcul. XIII.

A.C. 1297.

Rayn. 1297.

#. 25.

fiæ Romanæ Vexillarium crearet. Sed in Italiam eum acciverat, ut ejus viribus uteretur in Columnas, quibuscum habebat discordiam in apertum usque bellum protensam.

§. XLIX.

Dissidium Papæ cum Columnis.

Preuv. diff.

p. 33. 34.

Rayn. to. 15.

app.

Die sabbati 4 Maji an. 1297 Papa Bonifacius sui conclavis scribam misit, qui Jacobo Columnæ Cardinali Diacono de S. Maria *In via lata*, & Petro Columnæ nepoti ejus pariter Cardinali Diacono de S. Eustachio diceret, ut ejusdem diei vespere se ipsos illi sisterent coram Cardinalibus, audituri, quid eidem placeret ad ipsos loqui, quia vellet scire, an esset Papa, hoc est, an ipsum pro Papa haberent. Duo Cardinales rati haud posse se obsequi huic mandato, nisi se in discrimen conjicerent, eadem se die excusabant per procuratores: qui non admissi postera die dominica in conclavi Papæ coram custodibus januæ reclamabant. Tum iidem Cardinales egressi Roma arcem Longeticam in ejus territorio sitam petebant. Ad ultimum membrum denunciationis, per quam citati fuerant, responderunt per litteras publicas, in quibus agebant: Nos te haud credimus esse Papam legitimum, idque indicamus

sacro

facro Cardinalium collegio, cujus pro-
 visionem exposcimus in re, quæ inter-
 est Ecclesiæ, ac fidem fulcit. Nam
 magnæ authoritatis viros dicere sæpe
 audivimus merito dubitari, an abdicatio
 Papæ Coelestini sanctæ memoriæ
 fuerit canonica. Eorum ratio est, quod
 summus pontificatus a Deo solo veniat,
 is solus eum conferre, ideoque solus
 adimere queat. Ut decretalis *In-
 ter corporalia* expresse affirmat, amotio,
 translatio, abdicatio Episcoporum re-
 servata est Papæ soli tanquam Dei Vi-
 cario: igitur nemo, nisi qui eo superior
 est, Deus eum potest exauthorare: pro-
 cul abest, ut inferiorum aliquis hoc
 valeat.

Sæcul. XIII.
 A. C. 1297.

*De transl.
 Episc. c. 2.*

Duo Cardinales hanc conclusionem
 confirmandi gratia multa accumulunt
 argumenta; deinde addunt: Ut asseri-
 tur, Coelestini abdicationi multæ frau-
 des & astus intervenerunt, qui eam
 redderent irritam, etiamsi de jure fie-
 ri potuisset. Itaque cum in re, quæ
 tanti refert Ecclesiæ, imperare nobis ne-
 queamus, quin cupiamus explanari ve-
 rum, efflictim petimus, ut convocetur
 concilium generale, quod has dirimat
 controversias, an abdicatio, & subse-
 cuta electio sint canonicæ. Interim,
 sicut religione obstringimur, postulamus,
 ut tuæ potestatis exercitium omne su-
 spendas

Sæcul. XIII.
A. C. 1297.

spendas (alloquuntur Papam, quem solummodo Benedictum Cajetanum nominant) & a qualibet functione pastoralis abstineas usque ad decisionem concilii. Hujus ac veri Papæ præsidio nos cunctosque illos, qui adhærere nobis volent, committimus. Quia tuam tyrannidem, ac ne per censuras & vias facti nos infecteris, metuimus, contestando nullas denunciamus omnes tuas agendi rationes, & ad summam Sedem conciliumque generalem appellemus. Cunctos demum Christianos admonent, ut se ipsis jungant pro celebrando concilio, & nullam amplius obedientiam Benedicto præstent. Litteræ multorum testium potissimum Gallorum nomina exhibent datæ die Veneris 10 Maji an. 1297.

Rayn. 1297.
n. 27.
Preuv. diff.
p. 29.

Eodem die Papa Bonifacius contra Columnas edidit litteras in hanc sententiam. Tempore Papæ Gregorii IX. Joannes Columna Presbyter Cardinalis de S. Praxede, ac Odo Columna ejus nepos se Imperatori Friderico ad vexandam Ecclesiam addixere tunc, cum Odonis sororius Matthæus Ruber de Urfinis Romæ Senator esset. Et tamen Cardinalis Joannes sua cum stirpe beneficia plura accepit a familia Matthæi, præsertim a Papa Nicolao III, qui Jacobum Columnam Odonis filium juvenem admodum & rudem creavit Cardinalem Diaconum

Sup. lib. 87.
§. 12.

conum de S. Maria *In via lata* ad per-
 niciem domus Urfinorum ac Summæ
 Sedis, quam Jaccbus & hujus nepos
 Petrus itidem Cardinalis variis invase-
 rant modis. Faverunt enim turbis Si-
 culorum & Jacobi Arragonum Regis
 tunc inimici Ecclesiæ non sine gravi
 damno tum Caroli Siciliæ Regis, tum
 auxilii terræ sacræ ferendi; ac postre-
 mo juvenem Fridericum Regis Jacobi
 fratrem in nefasta regni Siculi usurpatione
 tacite adjuverunt.

Sæcul.XIII.
 A.C.1297.

Hos duos Cardinales tam benignis
 monitis, quam per minas ad officium
 reducere sæpius conati, cum ferreos
 videremus, stricte jussimus arbitrio no-
 stro permittere terras, quas Stephanus
 Columna Petri Cardinalis frater tene-
 bat, scilicet Præneste urbem, duasque
 arces, Columnam & Zagarnolum, nec
 illuc vel Fridericum, vel fautores ejus
 recipere. Quippe non dubitatur, quin
 Stephanus hæc loca duobus Cardina-
 libus fratri & patru suo reservaret ex-
 clusis reliquis agnatis, ad quos ea jure
 hæreditario pertinerent. At illi hoc
 mandatum neutiquam executi ad nos
 postea nunquam redierunt.

Igitur nostra potestate nobis uten-
 dum rati hos duos rebelles scilicet Jaco-
 bum de S. Maria *In via lata* & Petrum
 de S. Eustachio ad domandam superbiam
 suam

Sæcul. XIII. suam de consilio reliquorum Cardina-
 A.C. 1297. lium dignitate sua, cunctis juribus, ho-
 noribusque ac fructibus ei annexis, &
 omnibus beneficiis privamus. Declara-
 mus eos perpetuo inhabiles ad summum
 pontificatum, ad sacram purpuram, ad
 dignitatem & beneficium quaecunque
 intra centies mille passus ab urbe nostra
 possidendum. Execramur eosdem cum
 omnibus illis, qui eos porro habuerint
 pro Cardinalibus, vel eorum schismati
 adhæserint. Cunctos Joannis Columnæ
 posteros ad quartam generationem us-
 que beneficiis quibuslibet exclusos volu-
 mus. Denique supra dictos Jacobum ac
 Petrum, ut accipiant, quod merentur,
 intra decem dies se nobis sistere jubemus;
 si non obediant, omnia eorum bona, seu
 possint moveri, seu nequeant, fisco addi-
 cturi. Dabat Romæ in sacro Senatu pu-
 blico 10 Maji.

Rayn. 1297.
 n. 35.

Cum Columnæ huic mandato mini-
 me paruisent, Papa Bonifacius die A-
 scensus Domini 23 ejusdem mensis alias
 contra eos litteras edidit, in quibus que-
 ritur, quod in scripto divulgato, variis
 Romæ templis affixo, quin etiam S. Pe-
 tri aræ imposito Bonifacium esse Pa-
 pam pernegent, quem tamen ipsi Pa-
 pam elegerint, Papam agnoverint, ut Pa-
 pam in functionibus publicis per tres pro-
 pemptum annos coluerint. Quare con-
 firmat

firmat sententiam in eos latam, & perfistentes in suo schismate esse puniendos tanquam hæreticos asserit. Cum eis damnat proximos ipsorum agnatos numero quinque, quos inter nominat Jacobum Columnam cognomine Sciarram, quæ vox idem sonat ac Jurgium: unde judicari potest de viri hujus indole. Papa eos declarat inhabiles ad cuncta munera publica sacra profanaque, infames ac execratione devinctos. Præcipit deinde Inquisitoribus, ut eos tanquam hæreticos infestentur. At Columnæ his minis nequaquam terri, cum Fridrico Rege Siciliae inita societate, in urbem suam Præneste Legatos ejus receperunt. Idcirco Papa tertias in eos litteras dedit, quæ confirmant priores, ac promulgatæ sunt die dedicatæ basilicæ S. Petri 18 Nov. 1297.

Sæcul. XIII.
A.C. 1297.

§. L.

Ordo S. Antonii.

Ducenti anni erant, quod reliquæ S. Antonii colerentur in Viennensis dioeceseos prioratu Benedictino per Guigonem Desiderium ætate Urbani II condito, & Arelatensis dioeceseos Abbatiae Monmajoranæ obnoxio. Prope prioratum stabat domus hospitalis pro ægrotis S. Antonii patrocinium implorandi causa

*Sup. Lib. 64.
p. 38.
B. II. to. 2.
p. 156. 160.*

Hist. Eccles. Tom. XXII.

D d ve

Sæcul. XIII.
A. G. 1297.
venientibus: quibus serviebant laici vir-
tute præditi ad id opus bonum consocia-
ti. Primus eorum fuit quidam vir nobi-
lis Gasto nomine cum Girondo suo filio,
quibus postea se octo alii junxere. Gui-
go Desiderius prioratus conditor, ut fie-
ret operis hujus particeps, tribuit eis spa-
tium, ubi exstructa est ædes, quæ di-
cebatur domus stipis. Famulabantur
maxime correptis morbo, quem vocant
ignem sacrum, & contra quem S. An-
tonii auxilium flagitabatur. Præfectus
illorum habebat nomen Magistri seu Præ-
ceptoris: & pro signo instituti sui gere-
bant supra vestem figuram fulcri subala-
ris, qualibus nituntur membris capti.

*Bullar. Bo-
nif. c. 5.*

Progressu temporis inter prioratus
monachos ac ægrorum ministros ortæ
sunt graves controversiæ ob dona & le-
gata testamentaria S. Antonio facta, plu-
raque alia ob capita: & pactiones iden-
tidem conflatae rixas non sedaverant.
Papa Bonifacius VIII, cum hac de re
querimoniam fuissent ad se delatae, priora-
tus monachis ad Abbatiam Monmajora-
nam remissis, eum in Abbatiam novi Or-
dinis primariam erectum ministris ægro-
tantium conferens mandavit, ut tanquam
Canonici Regulares S. Augustini regu-
lam sibi observandam fumerent, retine-
rent tamen vestem suam cum T seu sci-
pione subalari: & primum eis Abbatem
con-

constituit Stephanum Adimonem, qui tunc eorum Præceptor erat. sæcul. XIII. A.C. 1297. Diploma dabat Urbe Veteri 18 Maji an. 1297. Atque ista fuit origo Ordinis Religiosorum Hospitalium S. Antonii.

§. LI.

Explicatio diplomatis Clericis laicos.

Petrus Barbetus Archiepiscopus Remensis querelas de diplomate *Clericis laicos* in Francia jactatas audiens, nomine totius Provinciæ suæ per litteras Papam, ut huic offensionem mederetur, rogavit, eaque tantum de causa Romam Episcopos misit, qui Bonifacio necessarias rei informationes darent. Papa ejus rationem ducens, per litteras cunctis Galliæ Præsulibus Proceribusque inscriptas querebatur aliquos sanctionem suam perperam exposuisse: ac ipse hanc explicans declarabat se inhibitionem ibi contentam non extendisse ad dona vel pecunias mutuas a Clero Regi aut Proceribus gratuito dandas, sed solum ad exactiones violentas; neque ad obsequia vel obligationes Cleri erga laicos ob prædia beneficiaria. Adjungebat, Regem posse in necessitate tuendi regni subsidium a Clero poscere, & accipere etiam inconsulto Papa; & Regis esse de hac

Preuv. diff. p. 26.

p. 39. Rayn. 1297. n. 50.

D d 2 necessi-

Sæcul. XIII. necessitate bona fide judicare. Dabat
 A.C. 1297. Urbe Veteri postrema Julii.

§. LII.

S. Ludovicus Cœlitum albo in-
seritur.

Rayn. n. 58.
 Id. 1278.
 n. 38.
 1281. n. 19.

d^o Etrées

Paucis post diebus Papa Bonifacius negotium Franciæ gloriosum, quod viginti quatuor annis duraverat, absolvit: Sancto videlicet Ludovico cœlestes honores publicosque decrevit. Tertio post ejus obitum anno nempe salutis 1273 Papa Gregorius X Simonem Briensem Cardinalem de S. Cæcilia suum in Francia Legatum jussit in miracula S. Regis clam inquirere, priusquam id palam ageretur. Paruit Legatus, & informationem ad illum misit. Sed quia hæc non nisi post ejus mortem advenerat, res suspensa hæsit ob breve regimen trium Paparum sequentium Innocentii V, Adriani V, & Joannis XXI. Resumpta fuit sub Nicolao III, cum Rex Philippus Audax eum, ut inquisitionem publicam præciperet, oravit per tres Legatos scilicet Guilielmum Matiscensem Ambiani Episcopum, Guilielmum Decanum Abrincensem, & Radulphum * Stratium castrorum Præfectum primarium seu Marescallum Franciæ, ut vocant. Tum Papa Nicolaus investigationem primam non sufficien-

ficientem reputans, amplio- rem impo-
 fuit eidem Legato Simoni Briensi, ut
 liquet ex mandato scripto ultima No-
 vembris an. 1278. Cum is munere
 suo gnaviter esset functus, Papa acce-
 ptam ejus informationem Cardinalibus
 Gerardo Parmensi & Jordano de S. Eu-
 stachio examinandam commisit. At
 Nicolai III mors hanc indagationem rur-
 sus interrupit.

Repetiit eam Simon Briensis succes-
 sor illius sub nomine Martini IV. Nam
 tres Archiepiscopi Remorum, Senonum,
 ac Turonum, multique alii Franciæ Præ-
 sules ad Martinum IV miserant Simo-
 nem Episcopum Carnutensem ipsius ne-
 potem, & Guilielmum Ambiani Epis-
 copum precaturus, ut sanctum Regem
 Cælitibus annumeraret. Papa, ut hoc
 in negotio circumspectione, qua posset,
 maxima uteretur, Guilielmum Flava-
 curtium Archiepiscopum Rothomagen-
 sem, Guilielmum Cresium Antissiodo-
 rensem Episcopum, ac Rolandum Parm-
 nensem Episcopum Spoletinum jussit
 Abbatiam Dionysiopolitanam cæteraque
 loca idonea adire, ac denuo vitam &
 miracula S. Ludovici investigare in ca-
 pitibus sive punctis a se ad ipsos mis-
 sis. Mandatum dedit Urbe Veteri 23
 Dec. 1281.

Sæcul. XIII.
 A. C. 1297.

Sæcul. XIII.

A.C. 1297.

Joinville

p. 128.

*Serm. Bo-**nif. ap.**Duchesne*

to. 5. p. 484.

Rayn. 1297.

n. 58.

Inquisitores isti Parisios & inde Dionysopolim delati, diu hic negotium tractabant suum. Inter alios testes accitum Jonavillæ Dominum biduo detinebant, ut ea, quæ de vita S. Regis sciebat, ex illo cognoscerent. Miracula sexaginta tria comprobabant, quorum testimonia miserunt ad curiam Romanam: ubi per sexdecim annos sequentes nunquam deerant, qui jussu ac nomine Regis, Præsulum, Procerumque Galliæ rem hanc urgerent; inter alios Joannes Sarnosius ex Ordine Minorum, postea Episcopus Lexoviensis. Papa Martinus tribus Cardinalibus rem discutiendam dedit: sed mortem oppetiit, antequam retulissent eam: Honorius quoque illius successor prius obiit, quam disquisitio finita esset. Cardinalibus, quibus hæc commissa erat, mortuis, Nicolaus IV tres novos Inquisitores constituit Ostiensem Portuensemque Episcopos, ac Benedictum Cajetanum: & vita functo Antistiti Ostiensi successit Sabinensis Præsul. Benedictus Papa factus sub nomine Bonifacii VIII, non mutavit Cognitiones: sed multa miracula per eos pluresque alios Cardinales rursum excuti curans voluit, ut suam quisque sententiam scripto daret, quo liberius eam ferrent. Tandem decidit Regem Ludovicum ad Sanctorum ordinem adscribendum esse.

Duas

Duas hac de materia orationes Urbe Veteri dixit; & priorem quidem in suo palatio die Martis ante festum S. Laurentii, nempe 6 Augusti an. 1297: ibi summam repetit totam inquisitionem Ludovici inter Coelites referendi gratia factam: & inter alia inquit: Papa Nicolaus III assererat virtutes hujus Regis esse tam cognitatas, ut eum in Sanctorum numero collocasset, si vidisset duo aut tria miracula. Ac deinde ait: Res toties discussa est, ut copiam chartarum tantam impleverit, quantam portare asinus haud posset. Alterum sermonem Bonifacius in templo Fratrum Minorum habuit eodem die, quo Ludovicum publice edixit Sanctum, nempe 11 Augusti. Diploma eodem die datum, & cunctis Galliae Episcopis inscriptum Sancti vitam & multa miracula summam continet, imperatque, ut ejus memoria celebretur die obitus postridie festum S. Bartholomaei, scilicet 25 Augusti.

Saecul. XIII.
A. C. 1297.

Duchesne
p. 481.

p. 484.

p. 485.

p. 486.

Bullar. Bonif. c. 6.

§. LIII.

S. Ludovicus Episcopus Tolosanus.

Octavo post hunc actum die obiit alius Ludovicus & ipse postea Sanctis adjunctus. Erat pronepos sancti Regis, ac secundus Caroli Claudi Regis

D d 4

gis

Sæcul. XIII. gis Neapolitani filius, Sanctitatis suæ
 A. C. 1297. fundamentum posuit in carcere Catalo-
Bulla canon. nio cum duobus fratribus suis Jacobo
Bullar. Arragonum Regi obses datus pro li-
Joa. XXII. bertate patris sui. Tunc habebat qua-
c. 2. tuordecim solum annos, ac septem hoc
Sup. lib. 88. in carcere hærebat, quibus per societa-
§. 53. tem ac magisterium aliquot Fratrum Mi-
Vading. norum ad litteras tam strenue se appli-
 1288. n. 26. cabat, ut de humanis scientiis ac de
 theologia disputando, privatim ac publi-
 ce, quin etiam divini verbi præconio pa-
 rem se redderet. In precibus sacris as-
 siduus, priusquam sacro intererat, elue-
 bat conscientiæ maculas, ac feriis solen-
 nioribus sedulo præparatus coeleste ad-
 epulum accedebat: factus Sacerdos quo-
 tidie peragebat rem divinam: conciones
 audiebat attentissimus, & sancti codicis
 lectione animum alebat suum.

A teneris magno puritatis amore fla-
 grans alterum fugiebat sexum, nec solus
 soli foeminae loquebatur unquam, nisi
 forte matri vel uni e sororibus suis. Hor-
 rebat verba turpia; & talia vomentes a-
 criter castigabat: Religiosos duos & in-
 terdum quatuor suo in conclavi cuba-
 re volebat suæ testes castimoniam. Vi-
 ctu minimo utebatur: ferreis se catenis
 cædebat, vel cædi curabat: & crassis
 funibus nudum cingebat corpus. Fratrum
 Minorum instituta complectendi votum
 capti-

captivitatē suæ tempore nuncupatum e Sæcul. XIII.
 Catalonia redux in Cesseronenſi mona- A. C. 1297.
 ſterio perſolvere cogitabat: ſed videns
 Fratres metuere, ne præſenti regio ipſius
 patri diſplicerent, ſuum votum ſolenni-
 ter iterare ſatis habuit.

810 Papa Cœleſtinus ei nondum ſacros Sup. ſ. 32.
 Ordines adepto archiepiſcopatum Lug-
 dunenſem tribuerat, ut vidimus. Sed Vading.
 collationem infirmans Bonifacius VIII il- 1296. n. 4.
 liſſi Tolofanum dedit epiſcopatum ex de- Rayn. eod.
 ceſſu Hugonis Maſcaronii in Romana n. 16.
 curia vacantem 6 Decembris an. 1296.
 Ludovicus noluit hunc accipere, niſi
 S. Franciſci regulam profitendi votum
 Superis reddidiſſet. Reddidit autem
 Romæ pridie Natalem Domini in coeno-
 bid, quod *Ara Cœli* dicitur, inter manus
 Fratris Joannis Murii quarti decimi Fra-
 trum Minorum Miniſtri Generalis. Tum
 Roberto fratri ſuo cedebat jus ad re-
 gnum Neapolitanum, cujus hæres pro-
 ximus erat: & ipſo ſuæ profeſſionis
 die declaratus eſt Epiſcopus Tolofa-
 nus: ſed diploma non fuit confeſtum
 niſi 19 ejusdem menſis Decembris, po- Vad. Reg.
 ſteaquam Papa ſuis eum manibus con- p. 224. n. 6.
 ſecraverat. Ne offenderetur Rex pa-
 rens ejus, Bonifacius eundem juſſit
 veſtem S. Franciſci tegere ſub uſitato a-
 mictu eccleſiaſtico. Verum die S. Aga-
 thæ 5 Februarii an. 1297 Ludovicus i-
 terum

D d 5 terum

Sæcul. XIII.
A.C. 1297.

terum in regulari vestitu suo duobus se Cardinalibus spectandum dedit; atque ita per Romam publice ivit nudis pedibus & cinctus fune a Capitolio usque ad Basilicam S. Petri, ubi concionem habuit.

Vading.
1297. n. 1.

Posthæc itineri se commisit possessionem Ecclesiæ suæ aditurus. Siensæ apud Fratres Minores diversans instar reliquorum sine ullo discrimine haberi voluit, immo etiam vasa post prandium cum eis lavit. Florentiæ in conclavi ad se recipiendum magnifice instructo cubare noluit. Tolosæ summo gaudio ac reverentia exceptus, cum sedem ibi teneret suam, quendam ministrum a secretis, in quo posuerat fiduciam, iussit perquirere, quanti essent reditus hujus Ecclesiæ (erant vero amplissimi) & quantum pecuniæ ad justam domus suæ sustentationem sufficeret. Huic mediocrem summam decrevit, quidquid restaret, nutriendis pauperibus impendi cupiens. Viginti quinque diebus singulis alebat domi suæ, ac eis ipse serviebat.

Accurate fungi suo munere, quotidie sacrificare, consecrationes celebrare piissime, mores ac doctrinam Clericorum, quibus optabat beneficia, examinare solebat. Judæos cæterosque a vera fide alienos Christo jungendi studio incensus, eorum quosdam e sacro fonte

suscepit. Denique negotiorum urgen-
tium causa in Provincia commorantem
adorta vis morbi consumpsit Brinonii 19
Aug. annos circiter viginti tres natum.
Alii mortem differunt in posterum an-
num 1298. Massiliæ apud Fratres Mi-
nores, ut per suum testamentum præ-
ceperat, est sepultus: unde factum, ut
multi eum nominent S. Ludovicum Mas-
siliensem.

Sæcul. XIII.
A.C. 1297.

Rayn. 1297.
n. 68.

Vading.
1298. n. 6.

§. LIV.

Mors Petri Joannis Olivæ.

Fratres Minores semper inter se discre-
pabant per disceptationes de obser-
vatione suæ regulæ, quarum præcipuus
author erat Frater Petrus Joannes Oli-
væ 16 Martii hoc anno salutis 1297, æ-
tatis suæ 50 mortuus acceptis obeuntium
Sacramentis omnibus, postquam ultima
sententia sua de observatione regulæ decla-
raverat his verbis: Ajo evangelicæ vi-
tæ nostræ caput illud esse, ut abdicemus
omne jus temporale, ac simplice rerum
usu contenti simus. Peccatum commit-
tit mortiferum, qui transgressiones regu-
læ ac defectus paupertati contrarios
pertinaciter defendit; eo adigere vult
fratres; & puritatem regulæ observan-
tes exagitat. Gravius peccat, qui di-
sciplinæ dissolutiones in universum Or-
dinis

Vading.

1297. n. 33.

Id. scriptor.
p. 284.

Sæcul. XIII.
A.C. 1297.

dinis corpus introducit, quam qui privatos aliquos eo impellit: & laxamenta perniciosissima sunt illa, quæ durant diutius, & manifestius patent, ideoque pessima præbent exempla, veluti magna ædificia, quæ ad importunas stipis collectiones inducunt. Receditur procul a regula, dum de sumptibus funerum, ac de piis legatis lites feruntur, quamvis eas homines profani in speciem moveant. Tandem est quæstus gratia fervide curare, ut illi nostris in templis humari velint; anniversaria sacra facienda suscipere; ac generatim domibus nostris certos proventus annuos comparare. Demum derident regulam, qui contendunt nostris fratribus esse permissum, ut bene vestiti, bene calceati sint, vehantur equo, & tam commode vivant, quam Canonici Regulares.

Huic declarationi Petrus addidit suam professionem fidei, dicens: Profiteor coram Deo & vobis, me adhaerere solummodo litteris sacris, & fidei Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, cui modo præest Papa Bonifacius. Non sector tantquam partem fidei humanam opinionem aliquam sive meam, sive alienam, quantumcunque Doctor eam tradiderit. Non mihi videor adstrictus, ut aliquam propositionem esse de fide censeam, si hoc non declarat Papa vel concilium generale.

rale: revereor tamen Theologorum sententias: & contrarias tueri credo ad exercenda ingenia, & ad dilucidandam veritatem conducere. Decessit Narbone in cœnobio sui Ordinis, ubi terræ mandatus est: ac sectatores ejus perhibebant ibi facta esse miracula. Multa reliquit scripta, quæ postea memorabo, inter alia commentarios in codicem sacrum, ac præcipue in Apocalypsim.

Sæcul. XIII.
A.C. 1297.

Mors ejus non extinxit contentionem Fratrum Provinciæ, præsertim illorum, quibus cordi erat disciplinæ remissio. His instigantibus Ordinis Minister Generalis Joannes Murius memoriam ejus tanquam hæretici damnavit, & aspere castigavit illos, qui ex operibus ejus aliqua penes se servabant, nisi ea designatis hanc ad rem Judicibus concremanda traderent. Multi Fratres hac de causa in carcerem mittebantur: & proximis in comitiis generalibus omnino vetabatur lectio librorum Petri Joannis Olivæ. Qui tamen defensores suos habuit; inter alios Fratrem Ubertinum Casalensem suum discipulum. Is an. 1259 natus, & an. 1273 ingressus Ordinem in magno disciplinæ studio suo confirmabatur a Joanne Parmensi, cum istum in secessu Grecchiano inviseret. Scripsit defensionem Petri Joannis Olivæ, ubi respon-

Vading.
n. 35.

Vading.
1299. n. 4.
Et script.
p. 329.
Id. 1297.
n. 37.

Sæcul. XIII. spondet ad duodecim capita errorum, de
 A C 1297. quibus is arguebatur.

§. LV.

Bizoqui condemnantur.

Rayn. 1296.
 n. 34.
 v. Cang.
 gloss. Bi-
 zochi.

Diversorum Ordinum Religiosorum de-
 fertores & alii, qui nullum Ordinem
 approbatum amplexi unquam erant,
 multos tunc errores disseminabant. Di-
 cebant se Bizoquos seu Fraticellos, nem-
 pe Fraterculos: concionabantur publice
 quam viri tam mulieres: gloriabantur
 per impositionem manuum suarum con-
 ferri Spiritum Sanctum, & per absolutio-
 nem suam liberari culpis confitentes si-
 bi: damnabant laborem manuum, & in
 Romanam Ecclesiam aperte consurge-
 bant. Papa Bonifacius eos anno prioris
 condemnauerat per litteras 1 Augusti da-
 tas prohibens, nequis Christianorum eos
 reciperet, vel ullo iuaret modo; impe-
 ransque, ut Præsules ac Inquisitores ex
 præscripto Canonum cum eis agerent.

Rayn. 1297.
 n. 55.

Singulare hoc anno 1297 mandatum de-
 dit Matthæo Theatino Inquisitori ex Or-
 dine Minorum, ut perquireret, ac exagi-
 taret Bizoquos, qui in Samnio seu Apru-
 tino, in Marchia Anconitana, vicinisque
 provinciis essent.

n. 57.

Scriptit etiam Inquisitori Carcaffo-
 nensi, ut inquireret in multos Bliterarum
 cives,

cives, tanquam suspectos de Albigenſi Sæcul. XIII.
 patrum ſuorum hæreſi. Violabant li- A.C. 1297.
 bertatem eccleſiaſtica: Clero veſtiga-
 lia imponebant, ac penſiones extraordi-
 narias: fraudabant Eccleſias ipſarum ju-
 ribus; & quo licentius id facerent, eo
 ſe adſtrangebant per ſtatuta & pactiones
 inter ſe conflatas. Ridebant cenſuras
 eccleſiaſticas, dicebantque ſe valere me-
 lius interdicti tempore, atque per anathe-
 ma nec cibi aviditatem nec ſomnum ſibi
 adimi. De Papa indigne loquebantur:
 Judices profanos adibant, ut per eorum
 authoritatem exſolverentur cenſuris:
 multi biennio & amplius hærebant de-
 vincti execratione. Mandatum ſcriptum
 eſt Urbe Veteri 13 Oct. 1297.

§. LVI.

*Patriarchæ Athanaſii ſcriptum Con-
 ſtantinopoli inventum.*

Conſtantinopoli menſe Septembri ejus-
 dem anni duo adoleſcentes ex ædi-
 bus Patriarchæ Joannis, cum in altis
 templi S. Sophiæ porticibus columbarum
 nidus quærerent, applicitis columnæ ſca-
 lis, in ejus ſaſtigio præter columbas duo
 vafa fictilia inveniebant quoddam ſcri-
 ptum concludentia. Poſtquam deprom-
 ptum expanderant, mirabuntur ſcilicet
 id

*Pachym. l. 9.
 c. 24.*

Sæcul. XIII.

A. C. 1297.

L. 7. c. 23.

id, quod ibi legebant, & ad Patriarcham tulere: qui rem cum Imperatore Andronico communicandam censuit. Hoc autem scriptum a Patriarcha Athanasio, cum missam faceret dignitatem suam, mirum fere quatuor abhinc annis compositum graves continebat querimontas, quod suis ingratis patriarchali folio impositus ob usum suæ potestatis contra reos exempli mali sit oppressus odio, eorumque accusationes sic auditas fuerint; ut abdicare munus cogeretur, quamvis nullius contra fidem aut mores criminis sibi esset conscius. Finiebat ille contorquendo anathema cunctos in aucthores hujus injustitiæ, quicumque deum fuissent. Has litteras subscripsit sua manu, munivit plumbeo sigillo suo, inclusit duabus testis fune colligatis, & posuit ipse in foramine, ubi sunt inventæ. Ita posteris relictum voluit hoc perpetuum suæ innocentiae ac doloris monumentum.

Id proin perlectum sollicitos habebat Patriarcham Joannem ac Imperatorem. Nam anathema in hunc cadere contabat, & intortum erat per virum tali potestate præditum quippe tum Patriarcham: sed ille in statu privato idem tollere nequibat. Hac in difficultate convocarunt Patriarcham Alexandrinum, Joannem veterem Metropolitanam Ephesi,

Sæcul. XIII.
A. C. 1297.

ac Episcopus Constantinopoli præsentibus
qui omnes rem indignati Athanasium yo-
luisse ad repetendam sedem suam sibi
viam sternere suspicabantur. Anathe-
ma ut ipse tolleret, rogandum censebant
alii: alii dicebant sic aliquid petatum iri,
quod fieri non posset, cum modo esset
homo privatus: doctiores autem conten-
debant absolutionem haud necessariam,
ac censuram esse nullam & contra ca-
nones utpote clam irrogatam nescien-
tibus.

Imperator tamen existimabat mitten-
dum esse, qui posceret ab Athanasio, ut
explicaret se. Hic agnito scripto suo de-
claravit se paratum ad tollendam censu-
ram: sicut fecit per scriptum novum,
cujus hæc erat summa: Egritudo ani-
mi & dolor, quem mihi creaverant vexa-
tiones, quas per tempus patriarchatus
mei pertuli, dictarunt mihi scriptum,
quod ad S. Sophiæ ocului. At depo-
sita dignitate mentem tranquillam red-
dere, ac inde omnia, quæ hoc scriptum
molestiora continet, delere totus studui,
libenter ignoscens omnibus, qui me of-
fenderunt. Quisquis enim præcepta
Dei novit, ac de judicio futuro cogitat,
fovere inimicitiam, ac vexatores suos
execrari non potest: scio perbene. Igi-
tur omnium illarum rerum tristium me-
moriæ ita obliteraveram, ut etiam re-
Histor. Eccles. Tom. XXII. E e su-

Sæcul. XIII.

A.C. 1298.

sumere scriptum ac suppressere oblitum fuerim. Sed quia inventum est, declaro me post remissum muneri meo nuncium omisisse omnem acerbicatem, omnem vindictæ cupidinem, & anathemata cunctasque alias censuras sustulisse. Adhæc per scriptum præsentem plenam do veniam omnibus, qui me læserunt, & quibus censuram irrogavi seu cognitam, seu cognoscendam; ac volo pacem cum omnibus & charitatem ex æquo colere sine ulla in quempiam iniquitate vel malevolentia. Dabat mensis Septembri indictione undecima tantum incepta.

§. LVII.

Joannes Veccus moritur.

e. 29.
Poff. not.
p. 567.
Sup. lib. 87.
§. 66.
Allat. cons.
p. 763. & Gr.
orthod. to. i.
p. 375.

Sex post mensibus ac exeunte Martio anni 1298 decessit vetus Patriarcha Joannes Veccus Ecclesiæ Græcæ Iumen tunc maximum. Post relictam Sedem Constantinopolitanam per annos quindecim & amplius in exilio semper vixerat, & in locis variis captivus. Construm S. Gregorii erat, ubi obiit. Contulit testamentum, in quo ait: Multi in exilio ac in carcere morientes faciunt testamentum, ut se purgent de criminibus, quorum accusantur. Ego e contrario meum facio, ut confitear cri-

Sæcul. XIII.
A. C. 1298.

crimen, ob quod exagitor; nempe quod contenderim Spiritum Sanctum procedere a Patre per Filium. Excurrit postea in probationem hujus dogmatis, ac denique addit: Nec pecunias, nec prædia habeo, de quibus statim: omnia mihi cum sede mea sunt adempta. Sed modicum, quod mihi mea in paupertate superest, partiendum relinquo iis, qui mecum in carcere hæserunt, & quorum alter pro filio mihi, alter pro domestico est. Fuit sepultus sine cerimonia eodem loco, ubi habitaverat. Constantinus Meliteniota, quem ille captivitatis habuerat socium, translatus Constantinopolim, & adjunctus fuit Georgio Metrochitæ Diacono Ecclesiæ principis, alteri Vecci discipulo. At quia cum schismaticis ex Imperatoris voluntate haud consentiebant, in majore palatio sunt inclusi. Joannes Veccus numerosa reliquit scripta; & in plerisque de processione Spiritus Sancti egit ac de concordia Ecclesiarum.

to. I. E 2.
Græciæ orthodox.

§. LVIII.

Beatus Augustinus Siculus.

Hoc anno 1298 Eremitæ S. Augustini sua comitia generalia Mediolani habuere: ubi 25 Maji Præpositum Ordinis Generalem cooptarunt Fratrem Augusti-

E e 2

Sæcul. XIII Augustinum tunc expiationum Præfectum
A.C. 1298. in Romana curia. Vocabatur antea

Boll. 19. Ma-
ji to. 15. p.
620. p. 167.
n. 3.

Sup. l. 85.
§. 42.

Matthæus Thermius, & in Sicilia prope Panormum natus erat nobili genere ex Catalonia oriundo. A primordio ætatis admotus ad litteras, ac dein Bononiam delatus post paucos annos ibi obtinuit honorem Doctoris Professorisque Jurium. Tum in Siciliam reversum fama sua regnanti tunc Manfredi commendavit, ita, ut illum constitueret perpetuum curiæ suæ Judicem, ac primarium regni administrum. Hoc dignitatis in gradu magnam puritatem morum, ac perfectam in iure dicendo integritatem retinuit. Manfredum ad pugnam Beneventanam quæ huic Principi vita stetit, comitatus, cum se abstulisset ex oculis, in acie cæsus credebatur: sed mortis metu fugiens redierat in Siciliam.

Correptus morbo tam violento, ut se brevi moriturum crederet, ac divinum reformidans iudicium, spondit, si convalesceret, se Ordini Religioso daturum nomen, ubi asperum vitæ genus duceret. Recepta sanitate voti persolvendi gratia Prædicatorum Ordinem intrare statuit, misitque duos e domesticis, qui Dominicanos ad ipsum adducerent. Sed ex illorum errore transferuntur Augustiniani. Demum se a Deo ad

ad horum institutum vocari ratus aper- Sæcul. XII.
to eis proposito suo eorundem vestem in- A. C. 1298.

duit. Tacuit vero, quis esset; occulit
nobilitatem, scientiam, & ampla mune-
ra sua: se nuncupavit Augustinum, ac
pro minimo fratrum gessit. Ibat men-
dicatum, lavabat vasa, servitiaque infi-
ma præstabat domui: paupertatis aman-
tissimus, & vilissimo contentus cibo quo-
tidie semel tantum se reficiebat.

Aliquamdiu commoratus in Sicilia t. 2. p. 619.

comperit in Hetruria prope Senas dari
Ordinis cenobium loco maxime solitario
S. Barbaræ dicatum. Huc permissu
Præsidis sui transiit: ibi vivebat plane
incognitus, & more suo abjectissima ob-
ibat ministeria. Inde a Priore Rosiam est
ductus; ubi se prodidit hunc in mo-
dum. Loci fratres in Romana curia ha-
bebant litem de quodam bono, quod
prope jam amiserant, & quod ad susten-
tandam sacram familiam multum confe-
rebat. Frater Augustinus eos hanc ob-
rem turbatos videns, ac probe gnarus
jus pro ipsis facere, adiit procuratorem,
& clam petiit ea, per quæ scriberet. Is
ridebat hominem ne legere quidem do-
ctum ratus: urgenti tamen præbuit pa-
pyrum, atramentum, & calamum. Au-
gustinus libellum supplicem scripsit bre-
vem ac solidum: qui postquam cum pro-
curatore partis adversæ communicatus
fue-

Sæcul. XIII.
A. C. 1298.

luerat, ajebat: Qui composuit hunc libellum, vel dæmon, vel Angelus est, vel Dominus Matthæus Thermius, qui mecum Bononiæ Jura audivit, & in prælio Regis Manfredi occubuit. Cupiebat libelli authorem cernere, & agnitum tenero amplexu strinxit commotus viri modestia, nec lacrymas tenens. Orabat Augustinus, ne ipsum prodendo tranquillitate animi privaret. At ille se continere haud poterat, quin ad Augustinianos diceret: Habetis thesaurum absconditum. Adest vir omnium excellentissimus. Habete pro meritis eum suis! Cæterum causam vestram obtinuistis. Igitur eum colere coeperunt. Sed honores cunctos respuens suæ demissionis exercitia prosequetur. Interim Beatus Clemens Auximanus Ordinis Præpositus Generalis Senas delatus comperit, quis esset Præter Augustinus. Proin accitum, & pro suo socio electum Romam duxit: ubi quantumvis reluctantem in Sacerdotem consecrari curavit, & cum eo Ordinis constitutiones condidit. Interea Papa Nicolaus IV a Clemente Religiosum proposcit aliquem audiendis Romæ confessionibus idoneum. Clemens Augustinum adduxit plenum in senatum pontificium: & Cardinales, cum visum ejus vestem, ac severam faciem cernerent,

v. Bolt. 8.
Apr. 10. 9.
p. 84.

rent, quærebant, quanam e sylva evoca-
 tus esset. **Accidit ad pedes Papæ in-**
 sciis, quid ageretur. Sed hunc sibi ma-
 nus imponere videns, ut ipsum expiationi-
 bus præficeret, tam amare flevit, ut
 Papæ simul & Cardinalibus lacrymas
 exciret. Quo magis noverunt hominem,
 eo plus amabant, & colebant. Hoc is
 munere annos viginti circiter fungeba-
 tur, dilectam semper solitudinem habens
 in animo. Suus eum ardor pro justitia
 impellebat, ut ad Papam & Cardinales
 non preces modo, sed acria quoque ver-
 ba adhiberet interdum: quæ patienter
 audiebant: tanti faciebant virum. Nam
 ejus consilia tanquam a cælo profecta
 recipiebant.

In curia Roman. etiam tum agebat,
 cum ejus Ordo Mediolani comitia cele-
 braret, ac eundem totus una voce in Pro-
 positum Generalem eligeret. Sed non
 consensit nisi coactus a Papa Bonifacio.
 Magna cum modestia, charitate, constan-
 tia, & fervore munus exercuit suum, sed
 biennio duntaxat. Quamvis enim ex
 more Ordinis comitia generalia non a-
 gerentur nisi tertio quoque anno, Augu-
 stinus primo Maji an. 1300 Neapoli ha-
 bebatur aliqua, nec ullis Fratrum precibus
 permoveri se patiebatur, ut regimen con-
 tinuaret. Sic liber ab onere non Ro-
 mam, sed recta ad solitudinem suam

Sæcul. XIII.
 A. C. 1298.

to. 15. p. 620.

Sæcul. XIII.

A.C. 1298.

scilicet ad eremum S. Leonardi prope Senas rediit, ubi pauculis cum Fratribus soli vacabat Deo. At ejus existimatio fecit, ut multi etiam e longinquo ad eum venirent petitiu[m] documenta & solatia in ærumnis suis. Post novem annos eodem in fecessu vitam sanctam pari fine conclusit Pentecostes die altera 19 Maji an. 1309.

§. LIX.

Adolphus Nassovius obiit. Albertus Romanorum Rex.

*Chron.
Colm. ap.
Rayn. n. II.*

In Germania tres Electores Archiepiscopus Moguntinus, Dux Saxonie, ac Marchio Brandenburgius Regem Romanorum Adolphum Nassovium in gerendo imperio non sequi consilia sua videntes, eum exauthorare, & Albertum Austrie Ducem Imperatoris Rudolphi filium sibi præficere statuerunt. Horum suasu Albertus Romam misit, qui orarent, ut Papa Adolphum detraheret de fastigio tanquam imparem regimini. Sed & Adolphus illic Legatos misit; quibus Papa Bonifacius declaravit se Alberto ac Electoribus minime assensurum: & addidit Rex veniat tantum! & eum inauguro dicite!

Pridie

Pridie festum S. Joannis vigesimo ter-
 tio Junii an. 1298 illi tres Electores Mo-
 guntiae aderant: & convocato per pul-
 sum æris campani populo adibant tem-
 plum: ubi conversis ad aram vultibus
 cum juramento ajebant: Vacante sex
 abhinc annos Imperio ex præscripto le-
 gum Romanorum Regem cooptavimus
 Adolphum Nassovium, quia digniorem
 tum temporis haud noscebamus. Sa-
 pienter regnabat initio. Sed paulo post
 malis abreptus consiliis, opibus & ami-
 cis caruit, ut defectus alios omittamus.
 Indicavimus hoc summo Pontifici, alium
 in ejus locum substituendi copiam pre-
 cantes. Legatos eam nostros impetras-
 se audivimus, licet Oratores Adolphi
 eam denegatam asserant. Igitur ex da-
 ta nobis autoritate Adolphum tanquam
 inhabilem movemus gradu; & in Regem
 Romanorum eligimus Dominum Alber-
 tum Austriæ Ducem. Postea cantatum
 est *Te Deum*. Albertus interim, ut a-
 gnosceretur, procedebat cum copiis. Ma-
 jorem Adolphus exercitum promovebat.
 Cum prope Spiram convenissent, com-
 misso prælio Adolphus cæsus est 2 Julii.
 Tum Albertus Francofurtum se contulit,
 ubi Electorum omnium suffragiis Roma-
 norum Rex cooptatus pridie festum S.
 Laurentii 9 Augusti, & Aquisgrani quam-
 primum coronatus fuit.

Sæcul. XIII.
 A. C. 1298.

*Annal. Ste-
 von. Hist.
 Austr. p. 342.*

Sæcul. XIII.

A.C. 1298.

§. LX.

*Creatio Cardinalium.**Rayn. n. 23.**Onufr. p. 193**Ughell. to. 1.**p. 309.**Ibid. p. 244.**Vading. n. 4.*

Hoc anno 1298 in principio Adventus dominici Papa Bonifacius creavit sex Cardinales. Consalvum Rodericum Hispanum Toletanum Archiepiscopum dixit Cardinalem Episcopum Albanensem, qui 7 Novembris anno sequente obiit. Theodoricum Rainerium Urbevetanum Pisanum Archiepiscopum appellavit Cardinalem Presbyterum de S. Cruce Hierosolymitana. Nicolaus Bocasinus Tarvisiensis nonus Prædicatorum Magister Generalis evalit Cardinalis Presbyter de S. Sabina, & postea Papa. Gentilius Monflorus ex Ordine Minorum, Magister sacri palatii factus est Cardinalis Presbyter de S. Silvestro. Duo ultimi Lucas Fiescus Nobilis Genuensis, & Richardus Petronius Senensis renunciati sunt Cardinales Diaconi, ille de S. Maria *In via lata*, hic de S. Eustachio. Et at is celeberrimus Jurisconsultus, ac Ecclesiæ Romanæ Pro-Cancellarius.

§. LXI.

Sæcul. XIII.
A. C. 1298.

Liber sextus Decretalium.

Postremus hic Cardinalis fuit unus e
tribus Doctoribus, quos Papa Boni-
facius ad congerendum Decretalium li-
brum sextum adhibuit. Constat is vero
ex sanctionibus Summorum Pontificum
post collectionem Gregorii IX editis, ni-
mirum ex decretis ejusdem Gregorii, In-
nocentii IV, Alexandri IV, Urbani IV, Cle-
mentis IV, Gregorii X, Nicolai III, & ipsius
Bonifacii. E cunctis eorum præscriptio-
nibus illas curavit seligi, quæ censeban-
tur dignissimæ, ut eas & sequerentur Ju-
dices in foro sacro, & Doctores traderent
in scholis: omissa ibi & mutata sunt ea,
quæ videbantur: & quia Decretales
Gregorii IX erant divisæ in quinque li-
bros; hæc nova collectio libri sexti no-
men obtinuit, qui rursus sectus est in li-
bros quinque. Bonifacius ad hunc la-
borem utebatur Guilielmo Mandegotio
Archiepiscopo Ebrodunensi, Berengario
Fredolio Bliterensi Episcopo, & Richar-
do Senensi. Sic docent litteræ ponti-
ficiæ præfixæ libro sexto, & inscriptæ
Universitatibus Bononiæ, Patavii, Pari-
siorum, & Aureliæ. Vulgatus hic liber
fuit 3 Martii exeunte anno 1298, vide-
licet anno 1299 ante Pascha.

Sup. l. 80.
§. 46.

Pith. not. ad
Tit.

Bern. Guid.

§. LXII.

Sæcul. XIII.
A. C. 1299.

§. LXII.

Præneste evertitur.

*c. un. de
schism. in 6.
Sup. §. 49.*

*J. Vill. 1.8.
c. 21. 23.
Rayn. 1298.
n. 22.*

Eidem libro, ubi de schismaticis agit, insertas voluit litteras Bonifacius, quas contra Columnas die Ascensus Domini 15 Maji an. 1298 ediderat, & per quas confirmabat tres alias anno prior scriptas. Palatia & domos, quas illi Romæ habebant, destrui, & ut ex urbe Prænestina cæterisque locis suis pellerentur, expeditionem sacram contra eos e templorum suggestibus suaderi jussit promittique eandem noxarum veniam, quæ Palæstinam petentibus data esset. Cardinalem Matthæum Aquaspartanum Episcopum Portuensensem collectis præfecit copiis, quæ cum obsessam Nepitam in fidem accepissent, Columnæ mense Septembri ejusdem anni 1298 agitates pacis consilia venerunt Reate, ubi Papa residebat, & ad ejus pedes prostrati flagitabant misericordiam. Ignovit, & anathema sustulit: sed Præneste sibi voluit tradi: traditumque funditus evertit.

Edidit deinde litteras, per quas hanc urbem ob seditionem punit, jure civitatis societatisque, ac honore sedis episcopalis & cardinalitiæ privat, atque prohibet, ne incolatur in posterum. Ut tamen sex episcopatus Cardinalium ex instituto

stituto veteri conservet, ait: Prope lo-
 cum, ubi erat Præneste, urbem novam
 condidimus: hanc dici Papæ civitatem,
 hujus cathedrale templum esse Sancti
 Martyris Agapiti ædem, quæ id stante
 Præneste jam fuit, ibique in honorem
 S. Bonifacii erigi aram volumus. Dabat
 13 Junii an. 1299. Novæ civitati suæ E-
 piscopum præfecit Theodoricum Raine-
 rium Urbevetanum, quem priore mense
 Decembri Cardinalem creaverat: sed Pa-
 pæ civitas non duravit diutius, quam
 vita Bonifacii. Hæc Prænestis ever-
 sio facta est contra pactum cum Columnis
 initum: qui sic delusi ante anni finem
 denuo movebant turbas: sed a Papa
 proscripti rursus ac exagitati, quod vi-
 tæ vel libertati timerent suæ, Romæ vi-
 ciniam cum adiutoribus suis reliquere.
 Siciliam alij, alij Franciam, vel alia pete-
 bant loca: quæ, quamvis sese abderent,
 sæpe mutabant, præsertim duo Cardina-
 les; atque ita manebant in exilio, quam-
 diu vivebat Bonifacius.

Sæcul. XIII.
 A. C. 1299.

Ughell. to. I.
 p. 244.

Villani
 c. 23.

§. LXIII.

Jacoponus ex Ordine Minorum.

Cum Præneste obsideretur, quidam ex
 Ordine Minorum Jacoponus nomine
 ibi displicentem sibi Papæ modum agen-
 di liberrime carpebat. Qui potitus urbe
 homi-

Sæcul. XIII.

A.C. 1299.

Vading.

1298. n. 24

*Eccl. Script.**Min.*

hominem ante sui pontificatus annos quinque sibi conjunctissimum in carcerem obscurum misit, & catenis oneratum, solo pane & aqua jussit refici. Hoc in statu Jacopono per annum totum ac dimidium, in carcere autem usque ad mortem Bonifacii manendum fuit. Vingtinti abhinc annos Ordini nomen dederat singulari quadam ratione impulsus. Tuderti e nobili familia Benedictonia ortus in sacro fonte Jacobi nomen obtinuit. Cum esset juvenis, Juri civili eam navavit operam, ut Doctor & Advocatus celeberrimus Romæ fieret. Honorum tantummodo & opum cupidus vivebat in luxu, malasque artes, quibus uti videbat sui generis homines, sine scrupulo adhibebat. Connubio sibi junxit raræ pietatis foeminam, sed quæ solerter eam dissimulans, externa specie aliarum similem se præstabat, ut ad mariti indolem se conformaret. Quodam die spectaculo cuiusdam præfens tabulato, in quo cum aliis matronis erat, corruente amisit vocem, & paulo post vitam. Accurrit ille de conjugis periculo monitus, & levaminis causa aperto ejus sinu sub pretiosis vestibus aspero indutam cilicio videbat stupens.

Hoc aspectu ac subita morte conjugis commotus, & attente se ipsum considerans res caducas abdicare statuit, ac tertium

tertium S. Francisci Ordinem amplexus Sæcul. XIII.
 est. Præcipue ei lubebat se despectum A.C. 1299.
 reddere: quo fine insanum se simulabat
 tam belle, ut reapse talis creditus, nec
 Jacobus postea, sed Jacoponus contem-
 ptim vocaretur. Sic annos decem tra-
 xit. Deinde vitam obedientiæ vinculo
 adstrictam tutiorem ratus, ut in primum
 S. Francisci Ordinem admitteretur, pe-
 tiit. Sed voti non est damnatus nisi post
 experimenta grandia, & præsertim ob-
 scriptum sapientissimum, quod de con-
 temptu rerum fluxarum composuerat,
 Tametsi litteratissimus, & Doctor erat,
 non fieri Sacerdos, sed frater laicus
 esse voluit.

§. LXIV.

Diploma pro Fratribus Mendicantibus.

Hoc anno 1299 Papa Bonifacius con-
 troversias inter Clerum secularem
 ac Religiosos Mendicantes oriri solitas
 sublaturus sanctionem edidit, cujus hæc
 erat summa: Fratres Prædicatores Mino-
 resque libere concionari poterunt in tem-
 plis aut locis publicis extra horas, qui-
 bus locorum Præsules orationem sa-
 cram dicere aut coram se dici volent.
 Hoc illi pariter omittent in Univer-
 sitatibus

*Extrav.
 comm. Sup.
 cath 2. de se-
 pult. Dubou-
 lai to. 3.
 p. 545.*

Sæcul. XIII.
A. C. 1299.

tibus ea hora, qua sermo ad Clerum haberi solet, vel qua is Præpositi iussu conveniet. Non dicent ad populum in templis parochialibus, nisi a Parochis invitentur, aut copiam obtinuerint. In locis, ubi Fratres isti habent domicilium, eorum Præsides a Præsulibus demitte poscent, ut Fratribus seligendis liceat confessiones sacras audire: delectos illis sistent, ut hanc functionem in ipsorum dioecesibus exercendi facultatem accipiant: & horum poenitentiarum administrorum numerus accommodabitur ad numerum Cleri ac populi. Hunc eis permissum si denegent Præsules, nos damus per plenitudinem autoritatis nostræ, non tamen ultra potestatem Parochis ex Jure propriam.

Fratres etiam suis in templis humare poterunt cunctos, qui hoc voluerint. Ne vero Parochi juribus fraudentur suis, volumus Fratres religione adstrictos esse adtribuendum eis quadrantem omnium, quæ ob sepulturas receperint: sed plus exigere Parochi haud poterunt. Cæterum hortamur omnes Præsules ac Parochos, simulque præcipimus, ut ne difficiles se Fratribus istis exhibeant, sed e contrario charitatem erga eos ac liberalitatem ut exercent. Hæc sanctio effectum a Papa speratum adeo non habuit, ut augetet diffidia.

§. LXV.

§. LXV.

Sæcul. XIII.
A.C. 1299.

Fratres Mendicantes Episcopi.

Papa Bonifacius anno 1295 archiepiscopatum Pisanum Theodorico Rainerio suorum conclavium Præfecto, deinde cum istum creasset Cardinalem, Joanni Polo Nobili Pisano ex Ordine Prædicatorum contulit, ac per Cardinalem Matthæum Aquaspartanum Episcopum Portuensensem consecrato pallium per Cardinalem Diaconum Matthæum Rubrum de Urbinis tradi voluit, ut memorat in litteris, quas dabat 10 Febr. 1299. Exeunte hoc ipse anno alias eidem Archiepiscopo litteras inscripsit, per quas permittebat, ut urbis ac dioceseos Pisanæ Clerus benignum Reipublicæ subsidium ferret.

Etiam ex Ordine Minorum Bonifacius plures hoc anno Præfules evocavit. Archiepiscopi Genuensis Jacobi Varasini mense Junio an. 1298 mortui successorem sibi nominandum reservans, 3 Febr. 1299 constituit Porchettum Spinolam Nobilem Genuensem ex Ordine Minorum, & pariter per Episcopum Portuensensem initiari jussit. Arborensensem seu Oristanicum Sardiniae archiepiscopatum Fratri Alamanno Balneoregino, qui per Romanam provinciam Inquisitor, tum Nuncius in Sicilia fuerat, detulit per diploma 28 Apr. 1299 datum. Sed eodem die illum

Sup. §. 22.

Vading.
1299. n. 3. &
Regest. p. 237

Regest.
p. 238. 239.

Hist. Eccles. Tom. XXII.

F f re-

Sæcul. XIII.
A. C. 1299.

Vading.
1298. n. 4.
Reg. p. 237.

renunciavit suum Vicarium ad exercenda Romæ munia episcopalia, licet ibi adesset Papa: & novus Archiepiscopus has dignitates non diu tenuit, utpote Romæ eodem anno extinctus. Joannem Samosium ejusdem Ordinis ibi præfectum expiationibus, & ad varias legationes adhibitum, dein anno 1298 sedi Rhedonensi impositum, hoc anno 1299 Papa ad Lexovinam transtulit, postquam Collegii electionem infirmaverat. Litteras dabat 3 Febr. Hæc exempla docent, quanto in pretio fuerint hi duo Ordines Prædicatorum Minorumque.

§. LXVI.

Templum Lateranense datur Canonicis secularibus.

Sup. lib. 61.
§. 5. 6.
Moulin. antiq. 4. ref.

Sed Canonicos Regulares haud magis ducebat Papa Bonifacius, quippe quibus ademit patriarchale templum Lateranense, & Canonicos seculares substituit. Abhinc annis ducentis triginta Papa Alexander II hos Canonicos Regulares instituerat, cum concilium an. 1063 Romæ habitum decrevisset, ut Sacerdotes & Diaconi viverent communiter, & sine bonis propriis. A templo suo capturus initium, eo Canonicos Regulares immisit Luca, cujus Episcopus fuerat, e cenobio S. Frigidiani accitos. Atque hæc institutio

tutio eum habuit successum, ut se in mul-
 tas Italiæ urbes extenderet, ubi se Cano-
 nicorum Regularium Collegia erigebant
 in congregationem conjuncta, cujus ca-
 put erat Lateranense.

Sæcul. XIII.
 A. C. 1299.

Nihilo tamen minus Bonifacius VIII
 2 Sept. an. 1299 litteras edidit, in quibus
 ait: Postquam hujus basilicæ Canonicorum
 Regularium vitam non regularem,
 & in tuendis juribus suis infirmitatem
 consideravimus, hanc Ecclesiam instaurari
 nisi per Clericos seculares haud posse
 censuimus, cum solennium votorum reli-
 gio ab ambiendo ejus sinu absterreat vi-
 ros potentes ac litteratos, defendendis
 ejusdem bonis & juribus, eique splendo-
 rem pristinum reddendo idoneos. Qua-
 propter habita cum nostris Fratribus de-
 liberatione, de consilio eorum præcepi-
 mus, ut Lateranensem basilicam Clerici
 sæculares perpetuo teneant; & amotis
 Canonicis Regularibus, qui eam habue-
 rant, quindecim viros selectos ut Canoni-
 cos illic introduximus. Hæc illorum
 suppressio totam mox congregationem
 dissolvit.

Rayn. 1299.
 n. 33.

§. LXVII.

Concilium Rothomagensis.

Novus Episcopus Lexoviensis Joannes
 Samosius adfuit concilio Rothoma-
 gensi,

FF 2

Sacul. XIII.

A.C. 1299.

to. II. conc.

p. 1426.

genſi, quod Archiepiſcopus Guilielmus Flavacurtius in prioratu Dominæ Noſtræ de Prato, hodie de Bono Nuncio habuit hoc anno die Jovis poſt octavam Pentecoſtes, ſcilicet decima octava Junii. Factum ibi eſt decretum in ſeptem di- viſum puncta, quorum primum corruptos Cleri mores indicat. Parochi aliique Beneficiarii curtis in veſtibus, & gladio ſuccincti procedebant in publicum. Te- nebant domi concubinas, aliasve mulie- res ſuſpectas. Obibant munera in foro profano. Pecunias ſœnori accipiebant. In luxuria, comeſſationibus, ac ebrietati- bus ducebant vitam. Ut coërcerentur metu pœnarum temporalium, quibus ma- gis quam ſpiritualibus commovebantur, concilium ſtatuit, ut poſt quamlibet ha- rum culparum per anni unius ſpatium cunctis beneficiorum fructibus, atque, ſi per annum ſe non correxerint, iſis pri- ventur beneficiis.

c. 3. 4. 5.

c. 6.

Reliquorum canonum pars major at- tinet ad jurisdictionem eccleſiaſticam, quam homines profani conſtringere ſem- per conabantur. Denique prohibetur, ne Præſules poteſtatem abſolvendi a ca- ſibus ſibi reſervatis in poſterum Fratribus Prædicatoribus, Minoribusve, aut aliis Re- ligioſis quibuſcunque committant, niſi quibusdam, quorum dexteritatem ſingu- lariter

lariter noverint, & salvo munere faciendi
Parocho confessionem annuam.

Sæcul. XIII.
A. C. 1299.

Eodem anno Papa Bonifacius amplissima potestate instruxit Fratres Prædicatores, quos misit ad Græcos, Bulgarios, Russos, Iberos, Saracenos, Tartaros, Indos, cæterosque ad Septem Triones, & ad Ortum populos. Permisit, ut communionem haberent cum proscriptis, eos absolverent, Clericos restituerent in integrum, faciendo gratiam legum connubia firma & rata afficerent, noxarum veniam largirentur, commutarent vota, & quod singulare præ reliquis videtur, neophytis minores Ordines sacros conferrent. Diploma dabit 10 Apr. 1299.

Rayn. n. 39.

§. LXVIII.

Ecclesia Danica.

Per decem propemodum annos cum Daniæ Rege controversiam habebat Archiepiscopus Lundanus Joannis Drosii an. 1289 mortui successor concordibus suffragiis cooptatus, nempe Joannes Grandius antea Episcopus, vel secundum alios Præpositus Roschildianus. At electio non placuit Regi Erico VII, nec Reginæ matri ejus, quæ præcipua gaudebat autoritate sub hoc Principe quindecim solum annos nato. Fastidii causa

Pontan. lib. 7
p. 377.

F f 3 erat

Sæcul. XIII.
A. C. 1299.

p. 378.

p. 379.

p. 380.

Rayn. 1295.
n. 53.

erat illius Præfulis cognatio cum Jacobo Hallandiæ Comite & quibusdam aliis rebellibus. Haud omisit ille Romam petere, invito Rege causam acturus suam: & obtinuit. Reversus concilium celebravit Roschildiæ an. 1291 aut sequente. Ibi potissimum studebat tueri Ecclesiæ jura & privilegia, quæ sub ultimis duobus Regibus Christophoro ac Erico VI haud leviter fuisse læsa contendebat.

Ranno Archiepiscopi Lundani nepos, qui fuerat conclavibus Erici VI præpositus, & unus e conjuratis, qui anno 1286 hunc Principem per insidias interfecerant, missus in carcerem, tormentisque suum fateri crimen coactus ultimum subiit supplicium. Paulo post Christophorus juvenis Regis frater hoc jubente Archiepiscopum ipsum & Jacobum Langium Ecclesiæ Lundanæ Præpositum carceri mandavit veluti conspirationis conscios & adjuutores. Ne vero pastoris absentia noceret gregi, Rex per litteras 15 Julii datas declaravit se suscipere tutelam Lundani Collegii, ac totius Cleri dicecesani. Langius elapsus e custodia, in qua aliquot hebdomades fuerat, & delatus Romam indignos cum Archiepiscopo ac secum agendi modos Papæ graviter conquerebatur.

Bonifacius Isarnum Archipresbyterum Carcaffonensem in Daniam misit cum epistola

epistola ad Regem, in qua ei exprobrat, **Sæcul. XIII.**
 quod mala secutus consilia Præfulem Lunda- **A.C. 1299.**
 danum carceri addiderit. Qua in re, in-
 quit, haud parum offendisti Majestatem
 divinam, sprevisti sacram Sedem, ac vio-
 lasti libertatem ecclesiasticam. Quocir-
 ca te oramus, ac præcipimus tibi, ut eum
 liberum cum nostro Nuncio Harno in con-
 spectum nostrum venire patiaris. Ad-
 hæc volumus, ut ad nos quamprimum
 Legatos mittas, qui nos de statu regni
 tui penitus edoceant, ut ei pacando ef-
 ficacem dare operam possimus. Dabat A-
 gnatiæ 23 Aug. 1295.

Interim Archiepiscopus Lundanus *Pentan.*
 affervabatur in turri quadam vinctus **p. 380.**
 compedibus: sibi tamen ita consuluit, ut
 se subduceret per limam & scalas e fune
 textas, quas inclusas pani acceperat. Pri- **p. 381.**
 mum in insulam Borenholmiam, deinde
 Romam transit: quo Rex cupitos a Pa-
 pa Legatos misit, nempe Martinum suum
 Cancellarium, & Guidonem Præpositum
 Ripensem. Papa quibusdam Cardinali-
 bus rem commisit: qua diu & magnis
 sumptibus examinata Regem proscripsit,
 & ad quadraginta novem selibrarum ar-
 genti millia Archiepiscopo solvenda con-
 demnavit; regnum autem interdicto af-
 fecit. Cum Nuncius Harnus anno 1298 **p. 382.**
 hanc sententiam executum missus Lube-
 cæ aliquamdiu hæreret, Jacobus Langius



Sæcul. XIII. Præpositus Lundanus obiit. Mense Januario sequentis anni 1299 Nuncius ingressus Daniam, interdictum Ottoniæ in insula Fionia promulgari iussit. Tum sub initium verni jejunii hoc anno in quartam Martii incidens Regi per litteras indicabat summam, ad quam Archiepiscopo pendendam damnatus esset; ac minabatur, coronam ipsius, ni pareret, alii datum iri. Hæc epistola nihil obtinuit præterquam fidei publicæ testes litteras, per quas is Hafniam veniret tutus, ut amici rei compositio tentaretur. At Præsul in insula Borenholmia mansit contentus eomittere Canonicum Roschildianum, suas acturum partes.

Rayn. 1299. Rex Ericus ac Dux Christophorus eius frater interim Papam, ut rescinderet censuras, rogaverant, polliciti se Archiepiscopo facturos satis. Idcirco Papa 18 Martii an. 1299 Nuncio Ifarno scripsit, ut censuras illa conditione dissolveret. Simul ei potestatem dedit confirmandi nuptias Regis cum Ingeburge Suecorum Regis sorore, quamquam in quarto propinquitatis gradu factas; aliasque illi gratias impertiendi, postquam ab anathemate per comprehensionem Præsulis sui accito absolutus fuisset: hoc in tempore Papa distulit usum utriusque facultatis Nuncio permissæ. Colloquium Hafniense duravit diu. Tandem Nuncius Ifarnus

Font. p. 282.
383.

nus tulit sententiam, per quam Archiepiscopo adjudicavit tertiam partem Lundæ ac fabricæ nummariæ cum possessionibus, quas Rex in insula Borenholmia, & in Lundana diocæsi tenebat. Sed eo ad Papam appellante Nuncius interdictum non sustulit: cessabatque divinum officium, ubicunque Rex ac Regina versabantur.

Sæcul.XIII.
A.C.1300.

Eodem anno Tyconi Ripensi in Jutia Episcopo vita functo successit Archidiaconus Christiernus: qui de suo patrimonio in urbe collegium pro viginti pauperibus litterarum studiosis condidit dotavitque.

§. LXIX.

Institutio Jubilæi.

Tunc Romæ manabat in vulgus rumor proximo anno 1300 Romanos omnes, qui S. Petri basilicam obirent, plenam noxarum veniam adepturos, ac centesimo cuique anno hanc virtutem esse. Papa, *Jac. Stefanesse Card.* qui & ipse hoc audit, in libris veteribus *ap. Rayn.an. 1300. n. 1. 2. &c.* id perquiri jussit. Sed clari nihil est inventum, quod rei autoritatem daret. Pri-
mus Januarii dies pæne totus abiit, nec extraordinarium quidquam spectatum erat. Sed a vespere usque ad mediam noctem in S. Petri templum innumerabilis certatim confluit populus, quasi cum illo die transiret tempus indulgentiæ. Hic confluxus duos propemodum men-

Sæcul. XIII.
A.C. 1300.

Sup. lib. 76.
§. II.

ses durabat. Primo anni centesimi die indulgentiam plenam comparari dicebant alii: alii esse duntaxat centum annorum veniam perhibebant. Frequentia fuit magna eo die, quo monstrabatur Veronica seu vera icon, nempe facies Christi Domini Nostri. Illa dies erat dominica post octavam Epiphaniæ, & hoc anno decima septima Januarii.

Papa in palatio Lateranensi residens attente ac benevole observabat hanc populi pietatem. Jussit ad se venire senem quendam centum ac septem ætatis annos numerantem, qui coram multis testibus hanc ob causam accitis, Memini, agebat, ante centum annos patrem meum agricolam profectum Romam, & indulgentiæ consequendæ gratia, quamdiu allata annona permittebat, hic commortuum suavisse mihi, ut ne post centum annos omitterem huc ire, si etiam tum viverem, quod futurum non putabat. Presentium quibusdam rogantibus, curasset, respondit centum annorum indulgentiam quolibet hujus anni die impetrari posse. Galli quoque indulgentiam Romæ obtineri credebant, ut testabantur duo viri dioeceseos Bellovacensis ætate suæ totum seculum superantes: sic loquebantur etiam plures Itali.

Rayn. n. 4. Post has inquisitiones Papa de consilio Cardinalium, quibuscum deliberave-

rat, confici diploma jussit, in quo agebat: **Sæcul. XIII.**
 Ut grandævi referunt Christiani, Apосто- **A. C. 1300.**
 lorum Principis basilicam adeuntibus ma- **Extrav.**
 gnæ noxarum condonationes factæ sunt. **comm. de**
 Nos ratas habemus ac renovamus cun- **pœnit. c. 1.**
 ctas. Sed quo magis colantur SS. Pe-
 trus ac Paulus, eorumque templa fre-
 quenter, plenam concedimus indul-
 gentiam iis omnibus, qui culpas suas re-
 vera dolentes ac confessi per hunc an-
 num 1300 a Natali Christi Domini po-
 stremum celebrato inceptum, ac per cen-
 tesimum quemque annum secuturum me-
 morata templa reverenter obibunt. Præ-
 cipimus, ut ii, qui hanc indulgentiam si-
 bi comparare volent, hæc templa, si sint
 Romani, per triginta dies continuos vel
 interruptos minimum semel quotidie, si
 exteri sint, per quindecim dies, sic adeant.
 Sed quo sæpius ardentiusque illa obibunt,
 eo efficacior erit indulgentia. Dabat
 die festo Cathedræ S. Petri 22 Febr. ac
 eodem die promulgari jussit. Nota nul-
 lam hic mentionem fieri de Jubilæo, aut
 de exemplo legis veteris.

Hoc diploma summo gaudio excepe- **Rayn. n. 5.**
 runt populi. Primi omnium Romani nul-
 lo sexus aut ætatis discrimine adibant A-
 postolorum templa tot diebus, quot præ-
 scripti erant. Tum eo ventum est tota
 ex Italia, Sicilia, Sardinia, Corsica, Gal-
 lia, Hispania, Anglia, Germania, Hunga-
 ria.

Sæcul. XIII.
A.C. 1300.

ria. Non juvenes solum ac viri vegeti tendebant illuc, verum etiam septuaginta annorum senes, ac infirmi lecticis eodem deferebantur. Inter alios observabatur Sabaudus quidam, quem sui portabant liberi, & qui se annis abhinc centum tali ceremoniæ interfuisse meminerat. Hæc rei adjuncta refert Cardinalis Jacobus Stephanescus, qui tunc agebat Romæ, & Papæ a consiliis erat. Eadem memorat historicus Florentinus Joannes Villanus inquam: Res omnium, quas unquam vidit orbis, mirissima! Totum per annum continenter Romæ aderant ducenta milia peregrinantium præter populum Romanum, nec numeratis iis, qui erant in via: nulli tamen vel homini victus vel equo pabulum defuit. Testari hæc possum, addit, quia in urbe tunc versabatur ex hospitem donis thesaurus ingens Ecclesiæ obtigit: ac Romanos omnes facillima sui comæatus venditio fortunis cumulavit.

*J. VIII. l. 8.
c. 36.*



HISTO